CODEX COLBERTINUS

PARISIENSIS.

QVATUOR EVANGELIA

ANTE HIERONYMUM LATINE TRANSLATA

POST EDITIONEM PETRI SABATIER CUM IPSO CODICE

COLLATAM

DENUO EDIDIT

J. BELSHEIM.

CHRISTIANIÆ.

SUMPTIBUS LIBRARIÆ ALBERTI CAMMERMEYERI.

MDCCCLXXXVIII.

1888

PRÆFATIO.

Sicut Gigas librorum Holmiensis codex unicus est, adhuc notus, qui textum Actorum Apostolorum, ante Hieronymum Latine translatum, totum et completum*) continet, ita codex Colbertinus Parisiensis unicus codex est, adhuc notus, qui textum omnium quatuor evangeliorum completum, sine lacunis, in eadem translatione antiquissima continet. Quamobrem, et quia hic textus evangeliorum ex codice Colbertino tantummodo in opere grandi, magni pretii, raro, quod inscribitur «Bibliorum sacrorum latinæ versiones antiquæ sev Vetus Italica etc», a Petro Sabatier, Parisiis 1751 edito, continetur, editionem novam parvi pretii desiderandam esse putavi et, autumno 1885 aliquot dies Parisiis commorans, editionem Petri Sabatier cum ipso codice festinanter contuli et hanc editionem ita paravi.

Codex Colbertinus, in bibliotheca Nationali Parisiensi asservatus, Novum Testamentum totum, quatuor evangelia ita in translatione antiqua ante Hieronymum facta, ceteros libros in translatione Vulgata, continet. Scriptus est in tenera membrana sæculo XI, fortasse etiam serius; scriptura eius cursiva est pulchra, sæpe compendiose scripta, ut in hisce speciminibus:

Marc. 8, 39: & dicebat illis: am̄ am̄ dico vob' qm̄ sunt hic q^i dā de hic stantib' q^i n̄ gustab̄t mortē donec videant regnū dī venisse in virtute. Marc. 11, 27—29: Et venit itūm ierosolymā & cū deambulabat in tēplo uener̄ ad illū p^i ncipes sac̄dotum & scribæ et seniores et dixer̄ ei In q^a potestate hæc facis & q^i s t^i dedit hāc potestatē ut ista facis. Ihš ū respondit eis dicens. Marc. 12, 32.33: Un' ÷ H dš & n̄ ē ali' p̄t eū & diligere eū ex toto corde 7 ex tota am̄a 7 ex tota uirtute & diligere p̄ximu tā^aq seipsum mai' est om̄ib' holocaustomatib' et sac^i fic̄iis.

*) In libro, qui inscribitur. »Die Apostelgeschichte und die Offenbarung Johannis«, a me edito, Christianiæ 1879.

Altitudo foliorum huius codicis pulcherrimi est 26 cm., latitudo 15 cm.; quæque pagina binas columnas habet et quæque columna 40 versus. Litera initialis cuiusque evangelii pulcherrima est. Prima litera cuiusque brevis rubro colore scripta est. Ut in plurimis codicibus evangeliorum antiquissimis est textus evangeliorum in codice Colbertino in breves (Matth. in 74, Marc. in 47, Luc. in 79, Ioh. in 36) et in canones Ammonio-Eusebianos divisus. Prologi, a Hieronymo scripti, ut putatur, et indices breviorum cuiusque evangelii in codice adsunt.

Orthographia codicis est in editione Petri Sabatier sæpe mutata (ex. gr. tentatio pro *temptacio*). Sed hac in editione mea conatus sum, ex notis meis Parisiis factis, orthographia ipsius codicis uti. Non multa menda in editione Petri Sabatier inveni et notavi, ita Matth. 5, 8: *mundi* corde (Sabatier: mundo corde) 12, 33: *cognoscitur* (Sab.: agnoscitur): 14, 31: *et extendit manum* (Sab. omisit hæc verba) 17, 5: obumbravit *eos* (Sab. obumbr. ea); 26, 59 (non 29) in fine: *et non invenerunt* (Sab. om.); Marc. 2, 7: *blasphemias* (Sabb. blasphemans); 5, 5 in fine: *concidens se lapidibus* (Sab. om.); 10, 24: iterum *dixit*, (Sab. iterum dicit): Luc. 1, 56: *deum* (Sab. dominum). Ioh. 14, 4: *sitis* (Sab. scitis), 16, 5: quo *vadis* (Sab. quo vado); 17, 6: *omnibus* (Sab. hominibus).

In editione Petri Sabatier leguntur secundum Vulgatam aliquot verba aut sententiæ, quæ non in ipso Codice Colbertino inveni; hæc in editione mea uncis [ ] inclusa sunt: Matth. 16, 25; Luc. 1, 70; 3, 13; Ioh. 10, 22. 23; 15, 10; 17, 16;

Corrigenda sunt hæc menda, quæ ex editione Petri Sabatier irrepserunt, ubi legenda sunt: Matth. 13, 29: Et ait *illis* non; 26, 15: At illi constituerunt *illi* XXX argenteos; Marc. 8, 39; amen, *amen;* Luc. 24, 24: et invenerunt *ista* sicut.

Plura peculiaria habet textus evangeliorum antiquissimus codicis Colbertini, inprimis accomodatio locorum multorum ad locos parallellos, ex gr. Marc. 1, 4 cfr. Luc. 3, 5; Luc. 4, 1—12 cfr. Matth. 4, 1—10; nomina duorum latronum Matth. 27, 38 et Marc. 15, 7 pl.

Restat ut gratias quam maximas ago et præfecto bibliothecæ Nationalis Parisiensis et aliis, qui munere ibi funguntur, ob benevolentiam præstitam mihi Parisiis commoranti. Similiter gratias quam maximas ago administratoribus sectionis Norvegicæ societatis Letterstedtianæ, quod partem sumptuum huius opusculi edendi hæc societas suppeditavit.

Christianiæ, mensi Novembri MDCCCLXXXVIII.

J. Belsheim.

EVANGELIUM SECUNDUM MATTHÆUM.

---

1. 1 Liber generacionis Iesu Christi filii David filii Abra-
ham. 2 Abraham genuit Ysaac, Ysaac genuit Iacob, Iacob autem
genuit Iudam et fratres eius. 3 Iudas autem genuit Phares et
Zaram de Thamar, Phares autem genuit Esrom, Esrom autem
genuit Aram, 4 Aram autem genuit Aminadab, Aminadab autem
genuit Naasson, Naasson autem genuit Salmon, 5 Salmon autem
genuit Booz de Rahab, Boos autem genuit Obeth ex Ruth,
Obed autem genuit Iesse, Iesse autem genuit David regem. 6
David autem rex genuit Salomonem ex ea quæ fuit Uriæ, 7 Sa-
lomon autem genuit Roboam, Roboam autem genuit Abiud,
Abiud autem genuit Asaph, 8 Asaph autem genuit Iosaphat, Iosa-
phat autem genuit Ioram, Ioram autem genuit Oziam, 9 Ozias
autem genuit Ioatham, Ioatham autem genuit Achaz, Achaz autem
genuit Ezechiam, 10 Ezechias autem genuit Manassen, Manasses
autem genuit Amos, Amos autem genuit Iosiam, 11 Iosias autem
genuit Iechoniam et fratres eius in transmigracionem Babilonis.
12 Et post transmigracionem Babilonis Iechonias genuit Sala-
thiel, Salathiel autem genuit Zorobabel, 13 Zorobabel autem
genuit Abiut, Abiut autem genuit Eliachim, Eliachim autem genuit
Azor, 14 Azor autem genuit Saddoch, Saddoch autem genuit Achim,
Achim autem genuit Eliud, 15 Eliud autem genuit Eleazar, Elea-
zar autem genuit Matthan, Matthan autem genuit Iacob, 16 Iacob
autem genuit Ioseph cui desponsata virgo Maria; Maria autem
genuit Iesum, qui dicitur Christus. 17 Omnes ergo generaciones
ab Abraham usque ad David generaciones sunt XIV, et a David
rege usque ad transmigracionem Babilonis generaciones sunt
XIV, et a transmigracione Babilonis usque ad Christum gene-
raciones sunt XIV. Omnes itaque generaciones ab Abraham
usque ad adventum Iesu Christi generaciones sunt XLII.
18 Christi autem generacio sic erat. Cum desponsata esset
mater eius Maria Ioseph, priusquam convenirent inventa est
prægnans de spiritu sancto, 19 Ioseph autem vir eius, cum esset

1 — Cod. Colb.

homo iustus et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere
eam. 20 Hæc autem eo cogitante, ecce angelus domini apparuit
in somnis ei dicens Ioseph fili David, ne timueris Mariam acci-
pere coniugem tuam quod enim ex ea nascitur, de spiritu sancto
est. 21 Pariet autem filium, et vocabis nomen eius Iesum:
ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. 22
Hoc autem totum factum est ut adimpleretur id quod dictum
est a domino per Ysaiam prophetam dicentem 23 Ecce virgo in
utero concipiet et pariet filium, et vocabunt nomen eius Emma-
nuel, quod est interpretatum Nobiscum deus. 24 Exsurgens autem
Ioseph a somno fecit sicut præcepit ei angelus domini, et accepit
coniugem suam. 25 Et non cognovit eam donec pareret filium
et vocavit nomen eius Iesum.

II. 1 Cum ergo natus esset Iesus in Bethleem civitate
Iudææ in diebus Herodis regis, ecce magi ab oriente venerunt
in Ierosolimam 2 dicentes Ubi est qui natus est rex Iudæorum?
vidimus enim stellam eius in oriente, et venimus adorare eum.
3 Audiens autem rex Herodes turbatus est, et omnis Ieroso-
lima cum eo. 4 Et congregavit omnes principes sacerdotum et
scribas populi et interrogavit ab eis ubi Christus nascitur. 5 At
illi dixerunt ei In Bethleem Iudææ. Sic enim dictum est per
prophetam 6 Et tu Bethleem Iudææ non es minima inter prin-
cipes Iuda: ex te enim exiet dux qui regat populum meum
Israel. 7 Tunc Herodes vocavit ad se occulte magos et diligenter
exquisivet ab eis tempus quando paruit eis stella 8 et misit
illos in Bethleem dicens Ite et interrogate diligenter de puero;
et cum inveneritis renunciate mihi, ut et ego veniam et adorem
illum. 9 Qui cum audissent regem, abierunt. Et ecce stella,
quam viderant in oriente, antecedebat eos usquedum venit et
stetit supra puerum. 10 Videntes autem stellam gavisi sunt
gaudio magno valde, 11 et intrantes in domum invenerunt pue-
rum cum Maria matre eius, et procidentes adoraverunt eum,
et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum tus
et mirram. 12 Et admoniti in somnis ne redirent ad Hero-
dem, et per aliam viam reversi sunt in regionem suam.
13 Qui cum recessissent, ecce angelus domini apparuit in
somnis Ioseph dicens Surge et accipe puerum et matrem eius
et fuge in Ægyptum, et esto ibi usque dum dicam tibi: futurum
est enim ut Herodes quærat puerum istum perdere. 14 Sur-
gens auten Ioseph a somno accepit puerum et matrem eius
nocte et abiit in Ægyptum, 15 et erat ibi usque ad con-
summacionem Herodis; ut adimpleretur quod dictum est a do-
mino per prophetam dicentem Ex Ægypto vocavi filium meum.
16 Tunc Herodes vidit quoniam delusus est a magis iratus
est valde, et misit et occidit omnes pueros qui erant in Bethleem

et in omnibus regionibus eius, a bimatu et infra, secundum tempus
quod exquisierat a magis. 17 Tunc adimpletum est quod dic-
tum est per Ieremiam prophetam dicentem. 18 Vox in Rama
audita est, ploratus et ululatus multus: Rachel plorans filios suos,
et noluit consolari, quia non sunt. 19 Defuncto autem Herode, ecce
angelus domini apparuit in somnis Ioseph in Ægypto 20 dicens Surge
accipe puerum et matrem eius et vade in terram Israel: defuncti sunt
enim qui quærebant animam pueri. 31 Et surgens Ioseph accepit
puerum et martrem eius, et venit in terram Israel. 22 Audiens au-
tem Ioseph quod Archelaus in Iudæa regnaret pro Herode patre suo,
timuit illo ire, et admonitus in somnis secessit in partes Galilææ.
23 Et venit et habitavit in civitatem quæ vocatur Nazareth; ut
adimpleretur quod dictum est per prophetas quoniam Nazoræus
vocabitur.

III. 1 In illis autem diebus venit Iohannes baptista præ-
dicans in deserto Iudææ 2 et dicens Pænitenciam agite: appro-
pinquavit enim regnum cælorum. 3 Hic est enim de quo dictum
est per Ysaiam prophetam dicentem Vox clamantis in deserto
Parate viam domini, rectas facite semitas eius. Omnis vallis
implebitur et omnis mons et collis humiliabitur et erunt prava in
directa et aspera in viam planam et videbit omnis caro salutare
dei. 4 Ipse autem Iohannes habebat vestimentum de pilis came-
lorum et zonam pelliciam circa lumbos suos; esca autem eius
erat locustæ et mel silvestre. 5 Tunc exibant ad eum ab Ieroso-
limis a Iudæa et omnes qui commorabuntur circa Iordanem, 6
et baptizabantur ab illo in Iordane confitentes peccata sua. 7
Videns autem multos Pharisæorum et Sadducæorum venientes
ad baptismum suum dixit eis Progenies viperarum, quis demon-
strabit vobis fugere ab ira ventura? 8 Facite ergo fructum di-
gnum pænitenciæ, 9 et nolite proferre vos dicentes Patrem ha-
bemus Abraham; dico enim vobis quoniam potens est deus ex
lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. 10 Iam enim securis ad
radices arborum posita est; omnis ergo arbor quæ non facit
fructum bonum excidetur et in ignem mittetur. 11 Ego quidem
vos baptizo in aqua in pænitenciam; qui autem post me venit,
fortior me est, cuius non sum dignus calciamenta portare: ipse
vos baptizabit in spiritu sancto et in igni. 12 Habens ventilabrum
in manu sua, et permundabit aream suam, et congregabit triti-
cum suum in orreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.
13 Tunc venit Iesus a Galilæa in Iordanem ad Iohannem
ut baptizaretur ab eo. 14 Et prohibebat eum Iohannes dicens
Ego debeo a te baptizari, et tu venis ad me? 15 Respondens
autem Iesus dixit ei Sine modo: sic enim decet nos implere
omnem iusticiam. Tunc baptizavit eum. 16 Et baptizato Iesu
confestim ascendit de aqua, et ecce aperti sunt ei cæli, et vidit
spiritum descendentem de cælo sicut columbam venientem in

ipsum. 17 Et ecce vox de cælis dicens Hic est filius meus di-
lectissimus, in quo bene complacui.

IV. 1 Tunc Iesus ductus est in desertum a spiritu ut
temptaretur a diabolo. 2 Et cum ieiunasset XL diebus et
XL noctibus, postea esuriit. 3 Et accessit ad eum temptator
diabolus et dixit illi Si filius dei es, dic ut lapides isti panes
fiant. 4 Cui respondens Iesus dixit illi Scriptum est Non tantum
in pane vivet homo, sed in omni verbo dei quod procedit
de ore. 5 Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem et
statuit eum super pinnam templi, 6 et dixit ei Si filius dei es,
mitte te deorsum: scriptum est enim quia angelis suis mandavit
de te, ut in manus tollant te, ne forte offendas ad lapidem
pedem tuum. 7 Ait illi iterum Iesus Scriptum est Non temptabis
dominum deum tuum. 8 Iterum assumpsit eum diabolus in
montem excelsum nimis, et ostendit ei omnia regna mundi et
honorem eorum, 9 et dixit illi Hæc omnia tibi dabo, si proci-
dens adoraveris me. 10 Tunc dixit ei Iesus Vade retro satana:
scriptum est enim Dominum deum tuum adorabis et illi soli servies.
11 Tunc reliquit eum diabolus, et ecce angeli accesserunt et mini-
strabant ei. 12 Cum audisset autem Iesus quod Iohannes traditus
esset secessit in Galilæam, 13 et relicta civitate Nazareth venit et
habitavit in Capharnaum maritimam a finibus Zabulon et Neptalim;
14 ut adimpleretur quod dictum est per Ysaiam prophetam dicentem
15 Terra Zabulon et terra Neptalim, via maris trans Iordanen,
Galilææ gencium, 16 populi qui sedebant in tenebris lucem
viderunt magnam, qui sedebant in umbra mortis, lux orta est illis.
17 Exinde Iesus coepit prædicare et dicere Pænitenciam agite: appro-
pinquavit enim regnum cælorum. 18 Cum transiret autem Iesus
secus mare Galilææ vidit duos fratres, Simonem qui dicitur Petrus
et Andream fratrem eius, mittentes retia in mare; erant enim
piscatores. 19 Et ait illis Iesus Venite post me, et faciam vos
fieri piscatores hominum. At illi continuo relictis retibus suis
secuti sunt eum. 21 Et procedens inde vidit alios duos fratres,
Iacobum Zebedæi et Iohannem fratrem eius, in navicula cum
Zebedæo patre ipsorum reficientes retia sua, et vocavit eos.
22 Illi autem statim relictis retibus et patre suo secuti sunt eum.
23 Et circuibat Iesus totam Galilæam, docens in synagogis
eorum et prædicans evangelium regni et sanans omnem languorem
et omnem infirmitatem in populo. 24 Et abiit opinio eius in
totam Syriam, et obtulerunt ei omnes male habentes, variis
languoribus et tormentis comprehensos, et qui dæmonia habebant,
et lunaticos et paralyticos, et omnes curavit. 25 Et sequebantur
eum turbæ multæ de Galilæa et Decapoli et ab Ierosolimis et
Iudæa et trans Iordanen.

V. 1 Videns autem turbas ascendit in montem; et cum
sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius. 2 Et aperuit os

suum Iesus et docebat eos dicens 3 Beati pauperes spiritu,
quoniam ipsorum est regnum cælorum. 4 Beati mites, quoniam
ipsi possidebunt terram. 5 Beati qui lugent, quoniam ipsi con-
solabuntur. 6 Beati qui esuriunt et sitiunt iusticiam, quoniam
ipsi saturabuntur. 7 Beati misericordes, quoniam ipsis misere-
bitur deus. 8 Beati mundi corde, quia ipsi deum videbunt. 9
Beati pacifici, quia filii dei vocabuntur. 10 Beati qui persecucio-
nem paciuntur propter iusticiam, quia ipsorum est regnum cæ-
lorum. 11 Beati estis cum vos maledicent et persequentur et
dicent omne malum adversum vos propter iusticiam. 12 Gaudete
et exultate quia merces vestra copiosa est in cælis; sic enim
persecuti sunt et prophetas qui erant ante vos patres eorum.
13 Vos estis sal terræ: quod si sal evanuerit, in quo salietur?
ad nichilum valet ultra nisi ut mittatur foras et conculcetur ab
hominibus. 14 Vos estis lux mundi huius. Non potest civitas
abscondi supra montem posita; 15 neque accendunt lucernam
et ponunt eam sub modio, sed supra candelabrum, ut luceat
omnibus qui in domo sunt. 16 Sic luceat lux vestra coram ho-
minibus, ut videant opera vestra bona et glorificent patrem
vestrum qui in cælis est. 17 Nolite putare quia veni solvere
legem aut prophetas: non veni solvere legem aut prophetas
sed adimplere. 18 Amen quippe dico vobis, donec transeat cælum
et terra, iota unum vel unus apex non præteribit a lege donec
omnia fiant. cælum et terra transibunt, verba autem mea non
præteribunt. 19 Qui enim solverit unum de mandatis istis mini-
mis et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum,
qui autem fecerit sic, hic magnus vocabitur in regno cælorum.
20 Dico enim vobis quia nisi abundaverit iusticia vestra plus
quam scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælo-
rum. 21 Audistis quia dictum est ab antiquis Non occides: qui
autem occiderit, reus erit iudicio. 22 Ego autem dico vobis
quia omnis qui irascitur fratri suo sine causa, reus erit in iudicio:
qui autem dixerit fratri suo Rachab, reus erit concilio: qui autem
dixerit Fatue, reus erit gehennæ ignis. 23 Si ergo offeres mu-
nus tuum ad altare, et ibi rememoratus fueris quia frater tuus
habet aliquid adversus te, 24 relinque ibi munus tuum ante
altare, et vade prius reconciliare fratri tuo, et tunc veniens
offeres munus tuum. 25 Esto consenciens adversario tuo cito
dum es cum illo in via ne forte tradat te adversarius iudici, et
iudex tradat te ministro, et in carcerem mittaris. 26 Amen
dico tibi, non exies inde donec reddas novissimum quadrantem.
27 Audistis quia dictum est ab antiquis Non moechaberis. 28 Ego
autem dico vobis quoniam omnis qui viderit mulierem ad con-
cupiscendum eam, iam moechatus est eam in corde suo. 29 Quod
si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum et proiice abs te:
expedit enim tibi ut pereat una pars membrorum tuorum quam

totum corpus tuum eat in gehennam. 30 Et si dextra manus
tua scandalizat te, abscide eam et proiice abs te: expedit
enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum quam totum corpus
tuum eat in gehennam. 31 Dictum est autem Quicunque dimi-
serit uxorem suam, det illi libellum repudii. 32 Ego autem dico
vobis quia omnis quicunque dimiserit uxorem suam, excepta causa
fornicacionis, facit eam moechari, et qui dimissam duxerit adul-
terat. 33 Iterum audistis quia dictum est ab antiquis Non
periuraveris, reddes autem deo iuramenta tua. 34 Ego autem
dico vobis non iurare omnino, neque per cælum, quia thronus
dei est, 35 neque per terram, quia scabellum est pedum eius,
neque per Ierosolimam, quia civitas est magni regis; 36 neque
per caput tuum iuraveris, quia non potes unum capillum album
facere aut nigrum. 37 Sit autem sermo vester est est, non non;
quod autem amplius est, a malo est. 38 Audistis quia dictum
est Oculum pro oculo dentem pro dente. 39 Ego autem dico
vobis non resistere malo: sed si quis te percusserit in dexteram
maxillam tuam, præbe illi et alteram. 40 Et ei qui tecum vult
in iudicio contendere et tunicam tuam tollere, dimitte illi et
pallium. 41 Et quicunque te angariaverit mille passus, vade
cum illo adhuc alia duo. 42 Et qui petit a te, da ei, et volenti
mutuari a te ne averteris te. 43 Audistis quia dictum est Diliges
proximum tuum, et odies inimicum tuum. 44 Ego autem dico
vobis Diligite inimicos vestros, et benedicite qui maledicent vobis,
et benefacite his qui odiunt vos, et orate pro calumniantibus
vobis et persequentibus vos 45 ut sitis filii patris vestri qui in
cælis est, qui solem suum oriri iubet super bonos et malos, et
pluit super iustos et iniustos. 46 Si enim diligitis eos qui vos
diligunt, quam mercedem habebitis? nonne et publicani hoc
faciunt? 47 Et si salutatis fratres vestros tantum, quid amplius
facietis? nonne et ethnici hoc faciunt? 48 Estote ergo vos per-
fecti, sicut et pater vester qui in cælis est, perfectus est.

VI. 1 Attendite ne iusticiam vestram faciatis coram homi-
nibus, ut videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud
patrem vestrum qui in cælis est. 2 Cum ergo facis elemosynam,
noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis
et in vicis, ut honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis,
perceperunt mercedem suam. 3 Te autem faciente elemosynam
nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua, 4 ut sit elemosyna
tua in abscondito: et pater tuus qui videt in abscondito reddet
tibi in palam. 5 Et cum oratis, nolite esse sicut hypocritæ, qui
amant stare in synagogis et in angulis platearum stantes orare,
ut videantur ab hominibus. Amen dico vobis perceperunt mer-
cedem suam. 6 Tu autem cum orabis, intra in cubiculum tuum,
et clauso hostio ora patrem tuum in abscondito: et pater
tuus qui videt in abscondito reddet tibi in palam. 7 Orantes
autem nolite multum loqui sicut ethnici; putant enim quod in

multiloquio suo exaudiantur. 8 Nolite ergo assimilari eis: scit
enim pater vester quid vobis opus sit ante quam petatis ab eo. 9 Sic
ergo vos orabitis eum Pater noster qui es in cælis, sanctificetur
nomen tuum, 10 adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua in cælo
et in terra, 11 panem nostrum cotidianum da nobis hodie,
12 et dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus debi-
toribus nostris, 13 et ne passus nos fueris induci in temptacionem,
sed libera nos a malo. 14 Si enim dimiseritis hominibus peccata
eorum, dimittet vobis et pater vester qui in cælis est delicta vestra;
15 si autem non dimiseritis hominibus, nec pater remittet vobis
peccata vestra. 16 Cum autem ieiunatis, nolite fieri sicut hypo-
critæ tristes exterminantes facies suas ut pareant hominibus
ieiunantes. Amen dico vobis quia receperunt mercedem suam.
17 Vos autem cum ieiunatis, ungite caput vestrum et faciem
vestrum lavate, 18 ne pareatis hominibus ieiunantes sed patri
vestro qui est in abscondito: et pater vester qui videt in
abscondito reddet vobis in palam. 19 Nolite thesaurizare vobis
thesauros in terra, ubi ærugo et tinea exterminat, et ubi fures
effodiunt et furantur; 20 thesaurizate autem vobis thesauros in
cælo, ubi neque erugo neque tinea exterminat, et ubi fures non
effodiunt nec furantur. 21 Ubi enim fuerit thesaurus tuus, ibi
erit et cor tuum. 22 Lucerna corporis tui est oculus tuus Si
oculus tuus simplex est, totum corpus tuum lucidum est; 23 si
autem oculus tuus nequam est, totum corpus tuum tenebrosum
est Si ergo lumen quod in te est tenebræ sunt, tenebræ quantæ
sunt. 24 Nemo potest duobus dominis servire: aut enim unum
odiet et alterum diliget, aut unum pacietur et alterum contemnet.
Non potestis deo servire et mammonæ. 25 Ideo dico vobis, ne
cogitetis in corde vestro quid manducetis ut quid bibatis aut
quid induamini. Nonne anima plus est quam esca, et corpus plus
quam vestimentum? 26 Respicite volatilia cæli, quoniam non
serunt neque metunt neque congregant in orrea, et pater vester
cælestis pascit illa: nonne vos pluris estis illis? 27 Quis
autem vestrum cogitans potest adiicere ad staturam suam cubitum
unum? 28 Et de vestimento quid solliciti estis? Considerate
lilia agri quomodo crescunt; non laborant neque nent: 29 dico
autem vobis quoniam nec Salomon coopertus est in omni gloria
sua sicut unum ex istis. 30 Si enim fenum agri, quod hodie est
et cras in clibanum mittitur, deus sic vestit, quanto magis vos,
minimæ fidei? 31 Nolite ergo solliciti esse dicentes Quid man-
ducabimus aut quid bibemus aut quid vestiemur? 32 hæc enim
omnia gentes inquirunt: scit autem pater vester quod horum
omnium indigetis. 33 Quærite ergo primum regnum dei et iusticiam
eius: et hæc omnia opponentur vobis. 34 Nolite ergo solliciti
esse in crastinum: crastinus enim dies sollicitus est sibi ipsi.
Sufficit diei malicia sua.

VII. 1 Nolite iudicare, ut non iudicemini: 2 in quo enim
iudicio iudicaveritis iudicabitur de vobis et in qua mensura
mensi fueritis in eadem remetietur vobis. 3 Quid autem vides
festucam in oculo fratris tui, trabem autem in oculo tuo non
vides? 4 Aut quomodo dicis fratri tuo Sine eiiciam festucam de
oculo tuo, et ecce trabis in oculo tuo est? 5 Hypocrita, eiice
primum trabem de oculo tuo, et tunc videbis eiicere festucam
de oculo fratris tui. 6 Nolite dare sanctum canibus, neque miseri-
tis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedi-
bus suis et conversi disrumpant vos. 7 Petite, et dabitur vobis:
quærite, et iuvenietis: pulsate, et aperietur vobis. 8 Omnis enim
qui petit accipit, et qui quærit invenit, et pulsanti aperietur.
9. Aut quis ex vobis homo, a quo petit filius eius panem,
nunquid lapidem porriget ei? 10 Aut si piscem petierit,
nunquid serpentem porriget ei? 11 Si ergo vos, cum sitis mali,
nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis pater vester qui
in cælis est dabit bona petentibus se. 12 Omnia ergo quæcunque
vultis ut faciant vobis homines bona, et vos facite illis: hæc est
enim lex et prophetæ. 13 Intrate per angustam portam: quia lata
et spaciosa via est quæ ducit ad perdicionem, et multi sunt qui
intrant per eam. 14 Quam angusta porta et arcta via est, quæ
ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam. 15 Attendite
vobis a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestitu ovium, ab
intus autem sunt lupi rapaces: 16 ex fructibus eorum cogno-
scetis eos. Nunquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis
ficus? Sic omnis arbor bona fructus bonos facit, mala autem
arbor malos fructus facit. 18 Non potest arbor bona malos fructus
facere, neque arbor mala bonos fructus facere. 19 Omnis ergo
arbor quæ non facit fructum bonum excidetur et in ignem mittetur.
20 Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos. 21 Non omnis
qui mihi dicet Domine domine, intrabit in regnum cælorum; sed
qui facit voluntatem patris mei qui in cælis est, ipse intrabit
in regnum cælorum. 22 Multi mihi dicent in illa die Domine
domine, nonne in tuo nomine prophetavimus, et in tuo nomine
dæmonia eiecimus, et in tuo nomine virtutes multas fecimus?
23 Et tunc dicam illis quia non vos novi: discedite a me, operarii
iniquitatis. 24 Omnis ergo qui audit verba mea hæc et facit ea
similis est viro sapienti, qui ædificavit domum suam super
petram: 25 descendit pluvia flaverunt venti advenerunt flumina
et impegerunt in domum illam, et non cecidit; fundata enim
erat super petram. 26 Et omnis qui audit verba mea hæc et
non facit ea similis est viro stulto, qui ædificavit domum suam
super harenam: 27 descendit pluvia flaverunt venti advenerunt
flumina et impegerunt in domum illam, et cecidit, et facta est ruina
eius magna. 28 Et factum est cum consummaret Iesus verba
hæc, admirabantur turbæ super doctrina eius: 29 erat enim

docens eos sicut potestatem habens, et non sicut scribæ eorum
et Pharisæi.
VIII. 1 Et descendente eo de monte, secutæ sunt eum
turbæ multæ. 2 Et ecce leprosus quidam veniens adorabat eum
dicens Domine,, si vis, potes me mundare. 3 Et extendens manum
Iesus tetigit eum dicens Volo, mundare. Et confestim mundata
est lepra eius. 4 Et ait illi Iesus Vide nemini dixeris, sed vade
ostende te sacerdoti, et offeres munus tuum quod præcepit
Moyses, in testimonium illis. 5 Post hæc autem cum introisset
Iesus Capharnaum, accessit ad eum quidam centurio rogans eum
6 et dicens Domine, puer meus iacet in domo paralyticus et male
torquetur. 7 Et ait illi Iesus Ego veniens curabo illum. 8 Et
respondens centurio ait Domine, non sum dignus ut intres sub
tectum meum: sed tantum dic verbo, et curabitur puer meus.
9 Nam et ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub
me milites, et dico huic Vade, et vadit, et alio Veni, et venit,
et servo meo dico Fac hoc, et facit. 10 Audiens autem Iesus
miratus est et sequentibus se dixit Amen dico vobis, non inveni
tantam fidem in Israel. 11 Dico autem vobis quod multi ab
oriente et occidente venient et recumbent cum Abraham et Ysahac
et Iacob in regno cælorum; 12 filii autem regni huius ibunt in
tenebras exteriores: ibi erit fletus et stridor dencium. 13 Et dixit
Iesus centurioni Vade, et sicut credidisti fiat tibi. Et sanatus
factus est puer ex illa hora. 14 Et cum venisset Iesus in domum
Petri, vidit socrum eius iacentem et febricitantem: 15 et tetigit
manum eius, et remisit eam febris, et surrexit et ministrabat eis.
16 Vespera facta obtulerunt illi multos dæmonia habentes: et
eiiciebat spiritus immundos verbo, et omnes male habentes cura-
vit; 17 ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam
dicentem quia infirmitates nostras accepit et ægrotaciones nostras
portavit. 18 Videns autem Iesus turbam multam circum se, iussit
discipulos suos ire trans fretum. 19 Et accedens quidam scriba ait
illi Magister, sequar te quocunque ieris. 20 Ait illi Iesus Vulpes
foveas habent et volucres cæli nidos ubi requiescant, filius autem
hominis non habet ubi caput reclinet. 21 Alius autem discipulus
ait illi Domine, permitte mihi primum ire et sepelire patrem meum.
22 Et ipse ait illi Sequere me, et remitte mortuos sepelire
mortuos suos. 23 Et ascendente eo in naviculam secuti sunt eum
discipuli eius. 24 Et ecce motus magnus factus est in mari, ita
ut navicula operiretur fluctibus; ipse vero dormiebat. 25 Et
accesserunt et suscitaverunt eum dicentes Domine libera nos,
perimus. 26 Ait illis Iesus Quid timidi estis, modicæ fidei?
Tunc surgens imperavit ventis et mari, et facta est tranquillitas
magna. Illi autem homines mirati sunt dicentes Qualis est hic,
quia et venti et mare obaudiunt eum? Et cum venisset trans
fretum in regionem Gerasenorum, occurrerunt ei duo homines de

monumentis exeuntes, periculosi nimis, ita ut nemo posset transire
per illam viam. 29 Et exclamaverunt dicentes Quid nobis et tibi,
Iesu fili dei? quid venisti huc ante tempus torquere nos? 30
Erat autem non longe ab eis grex porcorum multorum pascen-
cium. 31 Dæmones autem rogabant eum dicentes Si eiicis nos,
mitte nos in gregem porcorum. 32 Et ait illis Iesus Ite. At
illi exeuntes abierunt in porcos, et ecce magno impetu abiit to-
tus grex præcipitans se in mare, et mortui sunt in aquis. 33 Illi
autem qui eos pascebant fugerunt, et venientes in civitatem
nunciaverunt omnia et de his qui dæmonia habebant. 34 Et
ecce tota civitas exiit obviam Iesu, et viso eo rogabant ut tran-
siret a finibus eorum.

IX. 1 Et ascendens in naviculam transfretavit, et venit in
civitatem suam. 2 Et ecce obtulerunt ei paralyticum iacentem
in lecto: et videns Iesus fidem illorum dixit paralytico Confide
fili, remissa sunt tibi peccata tua. 3 Quidam autem de scribis
dixerunt intra se Hic blasphemat. 4 Et cum vidisset Iesus co-
gitaciones eorum, dixit eis Ut quid cogitatis mala in cordibus
vestris? 5 Quid est facilius, dicere Remissa sunt tibi peccata,
tua aut dicere Surge et ambula? 6 Ut sciatis autem quoniam
filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc
ait paralytico Surge, tolle lectum tuum et vade in domum tuam.
7 Et surrexit et abiit in domum suam. 8 Hoc viso turbæ ti-
muerunt et honorificaverunt deum quia tantam dedit potestatem
hominibus. 9 Et cum transiret inde Iesus, vidit hominem seden-
tem ad teloneum, nomine Matthæum, et ait illi Sequere me. Et
surgens secutus est eum. 10 Et factum est recumbente eo in
domo, ecce multi publicani et peccatores venerunt et recumbebant
cum Iesu et discipulis eius. 11 Et videntes Pharisæi dicebant
discipulis eius Quare magister vester cum publicanis et peccato-
ribus manducat? 12 At Iesus audiens ait Non est opus sanis
medicus sed male habentibus. 13 Euntes autem discite quid est
Misericordiam volo et non sacrificium. Non enim veni vocare
iustos sed peccatores in pænitenciam. 14 Tunc accesserunt ad
eum discipuli Iohannis Quare nos et Pharisæi ieiunamus frequen-
ter, discipuli autem tui non ieiunant? 15 Et ait illis Iesus
Nunquid possunt filii sponsi ieiunare quandiu cum illis est spon-
sus? Venient autem dies cum auferetur ab eis sponsus, et tunc
ieiunabunt in illis diebus. 16 Nemo autem committit commissuram
panni rudis in vestimentum vetus: tollit enim fortitudinem eius a
vestimento veteri, et peior fit scissura. 17 Neque mittunt vinum no-
vum in utres veteres: alioquin rumpentur utres, et vinum effundetur
et utres peribunt; sed vinum novum in utres novos mittunt, et
ambo reservantur. 18 Hæc illo loquente ad eos, ecce princeps
unus accessit et adoravit eum dicens Filia mea modo defuncta
est: sed veni impone manum super eam, et vivet. Et surgens

Iesus sequebatur eum cum discipulis suis. 20 Et ecce mulier
quæ sanguinis profluvium habebat annis XII accessit retro et teti-
git vestimentum eius: 21 dicebat enim intra se Si tetigero tantum
vestimentum eius, salva ero. Et continuo stetit profluvius sang-
vinis. At ille conversus dixit discipulis suis: Quis me tetigit?
Illi autem dixerunt: Turba te comprimit, et tu dicis: Quis me
tetigit? Non quod turba me comprimit, sed aliquis me teti-
git; ego enim sensi virtutem exisse a me. Tunc mulier cum
scisset, quod non posset latere, venit et cecidit ante pedes eius
et dixit, quid fecisset ei quomodo sanata esset. 22 At ille con-
versus vidit eam et dixit Constans esto filia, fides tua te salvam
fecit vade in pace. Et salva facta est mulier ex illa hora. 23 Et
cum venisset Iesus in domum principis videns tibicines et tur-
bam tumultuantem, dixit, 24 Recedite: non est enim mortua
puella sed dormit. Et deridebant eum. 25 Et cum eiecta esset
turba, intravit et tenuit manum eius, et surrexit puella. 26 Et
exivit fama hæc in universam terram illam. 27 Et transeunte
inde Iesu secuti sunt eum duo cæci clamantes et dicentes Mise-
rere nostri, fili David. 28 Et venit in domum, et accesserunt ad
eum cæci: et dicit illis Iesus Creditis quia possum hoc facere vo-
bis? Dicunt ei Utique, domine. 29 Tunc tetigit oculos illorum
dicens Secundum fidem vestram fiat vobis. 30 Et aperti sunt
oculi illorum: et comminatus est eis Iesus dicens Videte ne quis
sciat. 31 Illi autem exeuntes diffamaverunt eum in totam terram
illam. 32 Egressis autem illis ecce obtulerunt illi hominem mu-
tum et surdum, demonium habentem. 33 Et eiecto demonio
locutus est mutus, et miratæ sunt turbæ dicentes Nunquam
sic apparuit in Israel. 34 Pharisæi autem dicebant In principe
demoniorum eiicit demonia. 35 Et circuibat Iesus civitates
omnes et castella, docens in synagogis eorum et prædicans evan-
gelium regni et curans omnem languorem et infirmitatem in po-
pulo. 36 Videns autem turbas misertus est illis, quod essent
uexati iacentes sicut oves non habentes pastorem. 37 Tunc
dicit discipulis suis Messis quidem multa, operarii autem pauci:
38 rogate ergo dominum messis ut mittat operarios in messem
suam.

X. 1 Et convocatis XII discipulis suis, dedit illis pote-
statem spirituum immundornm, ut eiicerent eos et curarent
omnem valitudinem et omnes infirmitates. 2 Duodecim autem
apostolorum nomina hæc sunt, Primus Simon qui dicitur Petrus
et Andreas frater eius. 3 Iacobus Zebedæi et Iohannes frater
eius, Philippus et Bartholomæus, Thomas et Matthæus publicanus,
Iacobus Alphæi et Thaddæus, 4 Simon Chananæus et Iudas
Scarioth, qui tradidit eum. 5 Hos XII misit Iesus præci-
piens eis et dicens In viam gencium ne abieritis, et in civitatem
Samaritanorum ne intraveritis, 6 sed potius ite ad oves perditas

domus Israel. 7 Euntes autem prædicate dicentes quoniam
appropinquavit regnum cælorum. 8 Infirmos visitate, mortuos
suscitate, leprosos mundate, demones eiicite: gratis accepistis,
gratis date. 9 Nolite possidere aurum neque argentum neque
pecuniam in zonis vestris, 10 non peram in via neque duas tunicas
neque calciamenta neque virgam in manibus vestris, dignus est
enim operarius mercede sua. 11 In quamcumque autem civitatem
aut castellum introieritis, interrogate quis in ea dignus est: et
ibi manete donec exeatis inde. 12 Intrantes autem in domum aut
civitatem dicetis Pax huic domui 13 et si fuerit domus illa digna
veniat pax vestra super eam; si autem non fuerit digna, pax vestra
ad vos revertetur. 14 Et quicunque non receperint vos neque
audierint sermones vestros, exeuntes foras de domo vel de civitate
excutite pulverem de pedibus vestris in testimonium illis. 15 Amen
dico vobis, tolerabilius erit civitati Sodomorum aut Gomorreorum in
die iudicii quam illi civitati. 16 Ecce ego mitto vos sicut oves in
medio luporum: estote ergo prudentes sicut serpentes, et simpli-
ces sicut columbæ. 17 Attendite ab hominibus: tradent enim
vos in conciliis, et in sinagogis suis flagellabunt vos, 18 et
apud reges et præsides et adstabitis propter me, in testimonium
illis et gentibus. 19 Cum autem tradent vos, nolite cogitare
quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora
quid loquamini. 20 Non enim estis vos qui loquimini, sed spiri-
tus patris vestri qui loquitur in vobis. 21 Tradet autem frater
fratrem in mortem, et pater filium, et exsurgent filii in parentes
et morte eos afficient. 22 Et eritis odio omnibus hominibus
propter nomen meum: qui autem perseveraverit usque in finem,
hic salvus erit. 23 Cum autem persequentur vos in civitatem
istam fugite in aliam. Amen dico vobis, non consummabitis civi-
tates Israel donec veniat filius hominis. 24 Non est discipulus
maior super magistrum, nec servus super dominum suum: 25
satis est discipulo ut sit sicut magister eius, et servus sicut do-
minus eius. Si patrem familias Beelzebub vocaverunt, quanto
magis domesticos eius. 26 Ne ergo timueritis eos. Nihil enim
opertum est quod non revelatur et occultum quod non sciatur.
27 Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine; et quod in
aure auditis, prædicate super tecta. 28 Et nolite timere eos
qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed
potius eum timete qui potest animam et corpus perdere in ge-
hennam. 29 Nonne duo passeres asse veneunt? et unus ex illis
non cadit super terram sine voluntate patris vestri. 30 Sed
et capilli capitis vetri numerati sunt omnes. 31 Nolite ergo
timere: multo meliores estis passeribus. 32 Omnis ergo qui
confitetur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram
patre meo qui in cælis est 33 Qui autem negaverit me coram
hominibus, negabo et ego eum coram patre meo qui est in cælis.

Nolite arbitrari quoniam veni mittere pacem in terram: non enim
veni mittere pacem sed gladium. 35 Veni enim separare filium
adversus patrem suum, et filiam adversus matrem suam, et nurum
adversus socrum suam; 36 et inimici hominis domestici eius.
37 Qui diligit patrem aut matrem plus quam me non est me
dignus, et qui diligit filium aut filiam super me non est me
dignus, 38 et qui non accipit crucem suam et sequitur me non
est meus discipulus. 39 Qui invenit animam suam perdet illam,
et qui perdidit animam suam propter me inveniet eam. 40 Qui
recipit vos me recipit, et qui me recipit, recipit eum qui me
misit. 41 Qui recipit prophetam in nomine prophetæ mercedem
prophetæ accipiet, et qui recipit iustum in nomine iusti mercedem
iusti accipiet. 42 Et quicumque dederit potum uni ex minimis
istis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli, amen dico
vobis, quoniam non peribit merces eius.
XI. 1 Et factum est cum consummasset Iesus præcipiens
XII discipulis suis, transiit inde ut doceret et prædicaret in
civitatibus eorum. 2 Iohannes autem cum audiret in carcerem
opera Christi, mittens discipulos suos 3 ait illi Tu es qui venturus es, an alium speramus? 4 Respondens autem Iesus ait
illis Euntes renunciate Iohanni quæ auditis et videtis: 5 cæci
vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt mortui
resurgunt pauperes evangelizantur, 6 et beatus est qui in me non
fuerit scandalizatus. 7 Abeuntibus autem illis coepit Iesus dicere
ad turbas de Iohanne baptista Quid existis in desertum videre?
arundinem a vento agitari? 8 Sed quid existis videre? hominem
mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur in domibus
regum sunt. 9 Sed quid existis videre? prophetam? dico
vobis etiam, plus quam prophetam. 10 Hic est enim de quo
scriptum est Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, et præparabit viam tuam ante te. 11 Amen dico vobis, non surrexit inter
natos mulierum propheta maior Iohanne baptista; qui autem minor
est in regno cælorum maior est illo. 12 A diebus autem Iohannis baptistæ usque nunc regnum cælorum cogitur, et cogentes
diripiunt illud. 13 Omnes enim prophetæ et lex usque ad
Iohannem prophetaverunt: 14 et si vultis audire, ipse est Elias
qui venturus est. 12 Et qui habet aures audiendi audiat.
16 Cui autem similem æstimabo generacionem istam? Similes
est pueris sedentibus in foro et clamantibus ad invicem 17 dicentibus Cantavimus vobis et non saltastis, lamentavimus et non
planxistis. 18 Venit enim Iohannes neque manducans neque bibens, et dicunt Demonium habet. 19 Venit filius hominis manducans et bibens, et dicunt Ecce homo vorax et potator vini,
amicus publicanorum et peccatorum. Et iustificata est sapiencia
a filiis suis. 20 Tunc coepit improbrare civitatibus in quibus
factæ sunt plurimæ virtutes eius, quod non egerint pænitenciam.

Væ tibi Corozaim et Bethsaida, quia si in Tyro et Sidone factæ
essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere
pænitenciam egissent. 22 Veruntamen dico vobis, Tyro et
Sidoni remissius erit in die iudicii quam vobis. 23 Et tu
Capharnaum, nunquid usque in cælum exaltaberis? et si exaltata
fueris, usque ad inferos descendes, quia si in Sodomis factæ
fuissent virtutes quæ factæ sunt in te, forte mansissent usque
in hodiernum diem. 24 Sed tamen dico vobis quia terræ Sodo-
morum remissius erit in die iudicii quam vobis. 25 In illo
tempore respondens Iesus dixit Confiteor tibi domine, pater cæli
et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et
revelasti ea parvulis. 26 Ita pater, quoniam sic fuit bene placi-
tum ante te. 27 Omnia mihi tradita sunt a patre meo, et nemo
novit filium nisi pater, neque patrem quis novit nisi filius et cui
voluerit filius revelare. 28 Venite ad me omnes qui laboratis
et onerati estis, et ego vos reficiam. 29 Tollite iugum meum
super vos, et discite a me quia mitis sum et humilis corde, et
invenietis requiem animabus vestris. 30 Iugum enim meum suave
est, et honus meum leve est.

XII. 1 In illo tempore abiit Iesus per segetem sabbatis:
discipuli autem eius esurientes vellebant spicas et confricantes
eas manibus suis manducabant. 2 Pharisæi autem videntes dixerunt
ei Ecce discipuli tui quid faciunt quod non licet eis facere sab-
batis. 3 At ipse dixit eis Non legistis quid fecit David, cum
esuriret, ipse et qui cum illo erant? 4 quomodo intravit in do-
mum dei et panes propositionis manducavit, quos non licebat ei
manducare neque his qui cum illo erant, nisi solis sacerdotibus?
5 Aut non legistis in lege quia sabbatis sacerdotes in templo
sabbatum violant et sine crimine sunt? 6 Dico autem vobis quia
templo maior est hic. 7 Si enim sciretis quid est Misericor-
diam volo quam sacrificium, nunquam condemnassetis innocentes.
8 Dominus enim est sabbati filius hominis. 9 Et inde transiens
Iesus venit in sinagogam eorum. 10 Et ecce homo erat manum
habens aridam: et interrogaverunt eum dicentes Si licet sabbatis
curare? ut accusarent eum. 11 Ipse autem dixit illis Quis erit
ex vobis homo habet ovem unam, et si ceciderit in foveam
sabbatis nonne tenebit et levabit eam? 12 Quanto magis
melior est homo ove: itaque sabbatis licet bene facere aut
non? 13 Tunc ait homini Extende manum tuam. Et exten-
dit manum suam et restituta est ei sicut altera. 14 Exeuntes
autem Pharisæi consilium faciebant adversus eum, quomodo eum
perderent. 15 Iesus autem sciens secessit inde, et sequebantur
eum multi et curavit eos omnes autem quos curavit. 16 præ-
cipit eis ne provulgarent eum; 17 ut adimpleretur quod dictum
est per Ysaiam prophetam dicentem 18 Ecce filius meus quem
elegi, dilectus meus in quo bene conplacuit animæ meæ, ponam

spiritum meum super eum, et iudicium gentibus nunciabit. 10 Non
contendet neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem
eius; 20 arundinem quassatam non confringet et linum fumigans
non extinguet, donec eiiciat victoriam ad iudicium: 21 et in no-
mine eius gentes sperabunt. 22 Tunc oblatus est ei demonium
habens cæcus et mutus, et curavit eum ita ut loqueretur et
videret. 23 Et stupebant omnes turbæ et dicebant Nunquid hic
est filius David? 24 Pharisæi autem audientes dixerunt Hic non
eiicit demonia nisi in Beelzebub principe demoniorum. 25 Iesus
autem sciens cogitaciones eorum dixit eis Omne regnum divisum
contra se desolabitur, et omnis civitas vel domus divisa contra
se non stabit. 26 Et si satanas satanam eiicit, adversus se divi-
sus est: quomodo ergo stabit regnum eius? 27 Quod si ego in
Beelzebub eiicio demonia, utique filii vestri in quo eiiciunt? Ideo
ipsi iudices vestri erunt. 28 Si autem ego in spiritu dei eiicio
demonia, utique appropiavit ad vos regnum dei. 29 Aut quomodo
potest quis intrare in domum fortis et vasa eius diripere, nisi
prius alligaverit fortem? et tunc domum illius diripiet. 30 Qui
non est mecum contra me est, et qui mecum non colligit
dispergit. 31 Et ideo dico vobis omne pecatum et blasphemia
remittetur hominibus, spiritus autem blasphemiæ non remittetur
hominibus. 32 Et quicumque dixerit verbum contra filium ho-
minis, remittetur ei; qui autem dixerit contra spiritum sanctum,
non remittetur ei neque in hoc sæculo neque in futuro. 33 Aut
facite arborem bonam et fructum eius bonum, aut facite arborem
malam et fructum eius malum: siquidem ex fructu arbor cognoscitur.
34 Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui cum sitis
mali? Ex abundancia enim cordis os loquitur. 35 Bonus homo
de bono thesauro profert bona, et malus homo de malo thesauro
profert mala. 36 Dico autem vobis quoniam omne verbum ociosum
quod locuti fuerint homines, reddent racionem de eo in die
iudicii. 37 Unusquisque enim verbis suis iustificabitur aut
verbis suis condemnabitur. 38 Tunc responderunt ei quidam de
scribis et Pharisæis dicentes Magister, volumus a te signum
videre. 39 Iesus autem respondens ait illis Generacio mala et
adultera signum quærit, et signum non dabitur ei nisi signum
Ionæ prophetæ. 40 Sicut enim fuit Ionas in ventre cæti tribus
diebus et tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ
tribus diebus et tribus noctibus. 41 Viri Ninivitæ surgent in
iudicium cum generatione ista et condemnabunt eam, quia pæni-
tenciam egerunt in prædicacionem Ionæ, et ecce plus hic quam
Iona. 42 Regina austri surget in iudicium cum generacione ista et
condemnabit eam, quia venit a finibus terræ audire sapienciam
Salomonis, et ecce plus hic quam Salomon. 43 Cum autem im-
mundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida quæ-
rens requiem et non invenit: 44 tunc dicit Revertar in domum

meam unde exivi: et veniens invenit eam vacantem et scopis mun-
datam et ornatam: 45 tunc vadit et assumit secum alios septem
sipritus nequiores se, et intrantes habitant in eo: et fiunt
novissima hominis illius peiora prioribus. Sic erit et generacioni
huic pessimæ. 46 Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater et
fratres eius stabant foris quærentes loqui cum eo. 47 Dixit autem
ei quidam Ecce mater tua et fratres tui foris stant quærentes
loqui tecum. 48 At ipse respondens dicenti sibi ait Quæ est
mater mea, et fratres mei? 49 Et extendens manum suam super
discipulos suos dixit Ecce mater mea et fratres mei. 50 Quicum-
que enim fecerit voluntatem patris mei qui in cælis est, ipse
meus frater et soror et mater est.

XIII. 1 In illo die exiens Iesus de domo sedebat secus mare.
2 Et congregatæ sunt ad eum turbæ multæ, ita ut in naviculam
ascenderet et sederet, et omnes turbæ stabant in litore. 3 Et
locutus est ad eos multa in parabolis, dicens Ecce exiit seminans
seminare. 4 Et cum seminat, quædam ceciderunt secus viam, et
venerunt volucres et comederunt ea. 5 Quædam autem ceciderunt
in petrosa, ubi non habebant terram multam; et continuo exorta
sunt, quia non habebant multitudinem terræ: 6 sole autem
orto æstuaverunt, quia non habebant radicem aruerunt. 7 Alia
autem ceciderunt in spinis, et creverunt spinæ et suffocaverunt
ea. 8 Alia vero ceciderunt in terram bonam et dabant fructum,
aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud tricessimum. 9 Qui
habet aures audiendi, audiat. 10 Et accedentes discipuli eius
dixerunt ei Quare in parabolis loqueris ad eos? 11 At ipse
respondens ait illis Quia vobis datum est nosse mysterium regni
cælorum. illis autem non est datum. 12 Qui enim habet, dabitur
ei et abundabit; qui autem non habet, et quod habet auferetur ab
eo. 13 Ideo in parabolis loquor, ut videntes non videant et audien-
tes non audiant et non intellegant ne quando convertantur: 14 et
tunc complebitur prophecia Ysaiæ dicentis Vade et dic populo
huic Auditu audietis, et non intelligetis; et videntes videbitis,
et non videbitis. 15 Incrassatum est enim cor populi huius, et
auribus suis graviter audierunt, et oculos suos clauserunt, ne
quando oculis videant et auribus audiant et corde intelligant et
convertantur, et sanem illos. 16 Vestri autem beati oculi qui
vident, et aures quæ audiunt. 17 Amen dico vobis quod prophetæ et
iusti cupierunt videre quæ vos vidistis, et non viderunt et audire
quæ vos audistis et non audierunt. 18 Vos ergo audite parabolam se-
minantis. 19 Omnis qui audit verbum regni et non intelligit, venit
malus et rapit quod seminatum est in corde illius: hoc est qui secus
viam seminatum est. 20 Qui autem supra petrosa seminatus est,
hic est qui audit verbum et continuo cum gaudio accipit illud,
21 sed non habet in se radicem, sed est temporalis: facta autem

tribulacione et persecucione propter verbum continuo scandalizatur.
22 Qui autem in spinis seminatur, hic est qui audit verbum,
sollicitudo sæculi istius et voluptas diviciarum suffocat verbum,
et sine fructu efficitur. 23 Qui autem in terram bonam semina-
tus est, hic est qui audit verbum et intelligit, tunc fructum affert,
et facit aliud quidem centessimum, aliud autem sexagesimum,
aliud trigesimum. 24 Aliam parabolam proposuit illis Iesus
Simile est regnum cælorum homini qui seminavit bonum
semen in agro suo. 25 Cum autem dormirent homines, venit
inimicus eius et superseminavit zizaniam inter triticum et abiit.
26 Sed cum crevisset herba et fructum fecisset, tunc appparuit
zizania. 27 Accesserunt autem servi patris familias et dixerunt ei
Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? unde ergo
habet zizaniam? 28 Et ait illis Inimicus homo hoc fecit. Dicunt
ei servi Vis, imus et colligimus ea? 29 Et ait Non, ne forte
colligentes zizania eradicetis simul et triticum. 30 Sed sinite
utraque crescere usque ad messem, et tempore messis dicam mes-
soribus Colligite primum zizania et alligate ea fasciculos ad com-
burendum, triticum autem congregate in horreum meum. 31 Aliam
parabolam locutus est illis dicens Simile est regnum cælorum
grano sinapis, quod accipiens homo seminavit in agro suo: 32
quod minimum quidem est omnibus seminibus; cum autem cre-
verit, maius fit omnibus oleribus et fit arbor magna ita ut volu-
cres cæli veniant et habitent in ramis eius. 33 Aliam parabolam
locutus est eis Simile est regnum cælorum fermento, quod accep-
tum mulier abscondit in farinam mensuris tribus, donec fer-
mentatum est totum. 34 Hæc omnia locutus est Iesus in para-
bolis ad turbas et sine parabolis non loquebatur eis; 35 ut
impleretur quod dictum erat per prophetam dicentem Aperiam
in parabolis os meum, eructuabo abscondita ante constitucionem
mundi. 36 Tunc dimissis turbis venit in domum, et accesserunt
ad eum discipuli eius dicentes Dissere nobis parabolam tritici et
zizaniorum. 37 At Iesus respondens ait illis Qui seminavit
bonum semen filius est hominis, 38 ager est autem hic mundus,
bonum vero semen hi sunt filii regni; zizania autem filii sunt
nequiciæ, 39 inimicus autem qui seminavit ea est diabolus;
messis vero consummacio sæculi est, messores autem angeli sunt.
40 Sicut ergo colliguntur zizania et igni comburuntur, sic erit
in consummacione sæculi. 41 Mittet filius hominis angelos suos,
et colligent de regno eius omnia scandala et eos qui faciunt ini-
quitatem, 42 et mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus
et stridor dencium. 43 Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno
patris sui. Qui habet aures audiendi audiat. 44 Simile est regnum
cælorum thesauro in agro absconso quem cum invenit homo abs-
condit, et præ gaudio illius vadit et vendit universa quæ habet,
et emit agrum illum. 45 Iterum simile est regnum cælorum

homini negociatori quærenti bonam margaritam; 46 inventa autem
una preciosa margarita abiit et vendidit quæcunque habuit et
emit illam. 47 Iterum simile est regnum cælorum retiæ missæ
in mare et ex omni genere piscium congreganti, 48 quam cum
implesset educentes et secus litus sedentes elegerunt bonos in
vasis suis, malos autem miserunt foris. 49 Sic erit in consum-
macione sæculi: exibunt angeli et separabunt malos de medio iustorum,
50 et mittent eos in caminum ignis ardentis: ibi erit fletus et
stridor dencium. 51 Intellexistis hæc omnia? Dicunt ei Utique
domine. 52 Et ait illis Iesus Ideo omnis scriba doctus in regno
cælorum similis est homini patri familias, qui proferet de thesauro
suo nova et vetera. 53 Et factum est cum consummasset Iesus
parabolas istas, transiit inde. 54 Et veniens in patriam suam
docebat eos in sinagogis eorum, ita ut mirarentur et dicerent
Unde huic sapiencia tanta et virtutes? 55 Nonne hic est
fabri filius? et mater eius dicitur Maria, et fratres eius Iacobus
et Ioseph et Simon et Iudas? 56 et sorores eius nonne omnes
apud nos sunt? Unde ergo huic omnia ista? 57 Et scandaliza-
bantur in eo. Iesus autem dixit eis Non est propheta sine ho-
nore nisi in patria sua et in domo sua. 58 Et ideo non fecit ibi
virtutes multas propter incredulitatem illorum.

XIV. 1 In illo tempore audiit Herodes tetracha famam
de Iesu, 2 et ait pueris suis Hic est Iohannes baptista: ipse
surrexit a mortuis, et ideo virtutes operantur in eo. 3 Herodes
enim tenuit Iohannem et alligavit eum et misit in carcerem
propter Herodiadem uxorem fratris sui. 4 Dicebat enim illi Io-
hannes Non licet tibi habere illam. 5 Et volens illum occidere
timuit populum, quia sicut prophetam eum habebant. 6 Die autem
natalis Herodis saltavit filia Herodiadis in medio triclinio et
placuit Herodi; 7 unde cum iuramento pollicitus est ei dare
quodcunque postulasset ab eo. 8 Illa autem præmonita a
matre sua dixit Da mihi in disco caput Iohannis bap-
tistæ. 9 Et contristatus est rex Herodes; sed propter
iusiurandum et propter simul recumbentes iussit dari puellæ.
11 Puella autem attulit matri suæ. 12 Et accesserunt discipuli
eius et tulerunt corpus eius et sepelierunt illud, et venerunt
nunciaverunt Iesu. 13 Quo audito Iesus secessit inde in navi-
cula in locum desertum seorsum; et cum audissent turbæ, secutæ
sunt eum pedestres de civitatibus. 14 Et cum exisset vidit tur-
bam multam, et misertus est illis et curavit infirmos eorum.
15 Vespere autem facto accesserunt ad eum discipuli eius di-
centes Desertus locus est, et hora iam præterit: dimitte turbas,
ut euntes in castella emant sibi escas. 16 Iesus autem dixit
eis Non habent necesse ire: date illis autem vos manducare.
17 Responderunt ei Non habemus hic nisi quinque panes et duos
pisces. 18 Et ait illis Iesus Afferte eos ad me. 19 Et cum iussisset

turbam discumbere super fenum, acceptis quinque panibus et
duobus piscibus aspiciens in cælum benedixit, et fregit et dedit
discipulis suis panes, discipuli autem turbis. 20 Et manducaverunt
omnes et saturati sunt. Et tulerunt reliquias, XII cofinos
fragmentorum plenos. 21 Manducancium autem fuit numerus
quinque millia virorum, exceptis pueris et mulieribus. 22 Et statim
Iesus iussit discipulos suos ascendere in navicula et præcedere eum
trans fretum, donec ipse dimitteret turbas. 23 Et dimissa turba
ascendit in monte solus orare. Vespere autem facto solus erat
ibi. 24 Navicula autem iam in medio mari iactabatur fluctibus:
erat enim illis ventus contrarius. 25 Quarta autem vigilia noctis
venit ad eos Iesus ambulans supra mare. 26 Et videntes eum
supra mare ambulantem turbati sunt, dicentes quia fantasma
est, et præ timore clamaverunt. 27 Statimque Iesus locutus est
eis dicens Habete fiduciam: ego sum, nolite timere. 28 Respon-
dens autem Petrus dixit Domine, si tu es iube me venire ad te
super aquam. 29 At ipse ait Veni. Et descendens Petrus de
navicula ambulabat super aquam ut veniret ad Iesum. 30 Videns
vero ventum validum timuit, et cum coepisset mergere clamavit
dicens Domine, salva me. 31 Et continuo Iesus extendit
manum et apprehendit illum, et ait illi Modicæ fidei, quare
dubitasti? 32 Et cum ascendisset in naviculam, cessavit ventus.
33 Qui autem in navicula erant venerunt et adoraverunt eum
dicentes Vere filius dei est. 34 Et cum transfretassent in-
de, venerunt in terram Gennesar. 35 Et cum cognovissent eum
viri loci illius, adorabant eum et miserunt in universam regionem
illam, et obtulerunt ei omnes male habentes, et rogabant eum ut
vel fimbriam vestimenti eius tangerent: et quicunque tetigerunt
salvi facti sunt.

XV. 1 Tunc accesserunt ad eum scribæ et Pharisæi ab
Ierosolymis dicentes 2 Quare discipuli tui transgrediuntur tradi-
cionem seniorum? non enim lavant manus suas cum panem man-
ducant. 3 Ipse autem respondit illis Quare et vos transgredimini
mandatum dei propter tradicionem vestram? Nam deus dixit
4 Honora patrem tuum et matrem tuam, et Qui maledixerit patri
aut matri, morte moriatur. 5 Vos autem dicitis Quicunque dixerit
patri vel matri Munus quodcunque est ex me tibi proderit, 6 et
non honorificat patrem suum et matrem suam: et irritum fecistis
mandatum dei propter tradicionem vestram. 7 Hypocritæ, bene
prophetavit de vobis Ysaias dicens 8 Plebs hæc labiis me hono-
rat, cor autem eorum longe est a me: 9 sine causa autem colunt
me docentes doctrinas et mandata hominum. 10 Et convocatis
ad se turbis dixit illis Audite et intelligite. 11 Non quod intrat
in os coinquinat hominem; sed quod procedit ex ore, hoc com-
municat hominem. 12 Tunc accedentes discipuli eius dixerunt ei
Scis quia Pharisæi audito hoc verbo scandalizati sunt? 13 At
Iesus respondens ait Omnis plantacio quam non plantavit pater

meus cælestis eradicabitur. 14 Sinite illos: cæci sunt duces cæ-
corum. Cæcus enim si cæco ducatum præstet, ambo in foveam
cadunt. 15 Respondens autem Petrus dixit ei Dissere nobis para-
bolam istam. 16 At ille dixit Adhuc et vos sine intellectu estis?
17 Non intelligitis quia omne quod in os intrat in ventrem vadit
et in secessum emittitur? 18 Quæ autem procedunt de ore de
corde exeunt, hæc coinquinant hominem. 19 De corde enim
exeunt cogitaciones malæ, homicidia, adulteria, fornicaciones, furta,
falsa testimonia, blasphemiæ. 20 Hæc sunt quæ coinquinant ho-
minem; non lotis autem manibus manducare non coinquinat ho-
minem. 21 Et egressus inde Iesus secessit in partes Tyri et
Sidonis. 22 Et ecce mulier Chananæa a finibus illis egressa cla-
mabat dicens ei Miserere mei domine fili David: filia mea male a
dæmonio vexatur. 23 At Iesus non respondit ei verbum. Et
accedentes discipuli eius rogabant eum dicentes Dimitte illam,
quia clamat post nos. 24 Ipse autem respondens ait Non sum
missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel. 25 At illa venit
et adorabat eum dicens Adiuva me Domine. 26 Ipse autem re-
spondens ait Non licet accipere panem filiorum et mittere cani-
bus. 27 At illa dixit Utique, domine: nam et catelli edunt de
micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum. 28 Tunc respon-
dens Iesus ait. O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut
vis. Et sanata est filia eius ex illa hora. 29 Et cum transisset
inde Iesus, venit iterum secus mare Galilææ, et ascendens in
monte sedebat ibi. 80 Et accesserunt ad eum turbæ multæ, ha-
bentes secum cæcos claudos debiles mutos et alios multos, et
proiecerunt eos ante pedes eius, et curavit eos omnes, 31 ita ut
turbæ mirarentur videntes mutos loquentes, claudos ambulantes,
cæcos videntes, et magnificabant deum Israel. 32 Iesus autem
convocatis discipulis suis dixit Misereor turbæ huic, quia triduum
est iam quod perseverant mecum et non habent et dimittere eos
nolo ieiunos, ne deficiant in via. 33 Dicunt autem ei discipuli eius
Unde ergo nobis in deserto panes tantos ut saturentur turbæ?
34 Et ait illis Iesus Quot panes hic habetis? At illi dixerunt
Septem, et paucos pisces. 35 Et præcipit turbæ recumbere in
terra. 36 Et accepit Iesus panes et pisces et gracias egit et
fregit et dedit discipulis, et discipuli dederunt populo. 37 Et
manducaverunt omnes et saturati sunt. Et quod abundavit de
panibus tulerunt, septem sportas plenas. 38 Erant autem qui
manducaverunt quattuor millia hominum extra pueros et mulieres.
39 Et dimissa turba ascendit in naviculam, et venit in finibus
Magedan.

XVI. 1 Et accesserunt ad eum Pharisæi et Sadducæi temptantes,
et rogaverunt illum ut signum illis de cælo ostenderet. 2 At
ille respondens ait Cum sero factum est dicitis Serenum erit,
rubicundum est enim cum nubibus cælum: 3 et mane Hodie

tempestas est, rubicundum enim est cum tristicia cælum. 4 Faciem
ergo cæli nostis æstimare, signa autem temporum non potestis scire.
Generacio mala et adultera quærit signum, et non dabitur ei nisi
signum Ionæ prophetæ. Et relictis illis abiit. 5 Et cum venisset
trans fretum, obliti sunt discipuli eius panes accipere. 6 Iesus autem
dixit illis Attendite vobis a fermento Pharisæorum et Sadducæ-
orum. 7 Tunc cogitabant inter se dicentes Quia panes non acce-
pimus. 8 Sciens autem Iesus dixit Quid cogitatis inter vos, mo-
dicæ fidei, quia panes non habetis? 9 Nondum intellexistis neque
meministis quinque panibus in quinque millia hominum, et quot
cofinos sumpsistis? 10 neque de septem panibus in quatuor
millia hominum, et quot sportas sumpsistis? 11 Quare non intel-
ligitis quia non de pane dixi vobis Attendite a fermento Phari-
sæorum et Sadducæorum? 12 Tunc intellexerunt quia non dixit
a fermento panis sed a doctrina Pharisæorum et Sadducæorum
attenderent sibi. 13 Venit autem Iesus in partes Cæsareæ Phi-
lippi, et interrogabat discipulos suos dicens Quem dicunt homines
esse filium hominis? 14 At illi dixerunt Alii Iohannem bapti-
stam, alii autem Heliam, alii vero Ieremiam aut unum ex pro-
phetis. 15 Dixit illis Iesus Vos autem quem me esse dicitis?
16 Respondens Simon Petrus dixit Tu es Christus filius dei vivi.
17 Respondens autem Iesus dixit ei Beatus es, Simon Bar Iona,
quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed pater meus qui in
cælis est. 18 Et ego dico tibi quia tu es Petrus, et super hanc
petram ædificabo ecclesiam meam, et portæ inferorum non præ-
valebunt adversus eam. 19 Et tibi dabo claves regni cælorum:
et quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata et in cælis;
et quæcunque solveritis super terram, erunt soluta et in cælis.
20 Tunc imperavit discipulis suis ut nemini dicerent quod ipse
esset Christus Iesus. 21 Exinde coepit Iesus ostendere discipulis
suis quia oportet eum ire Ierosolimam et multa pati a senioribus
et scribis et a principibus sacerdotum et occidi et post tercium diem
resurgere. 22 Et assumens eum Petrus coepit increpare et dicere
Absit a te, domine: non erit tibi hoc. 23 At ipse conversus
dixit Petro Vade retro me, satanas: scandalum es mihi, quia non
sapis ea quæ dei sunt sed ea quæ hominum. 24 Tunc Iesus
dixit discipulis suis Si quis vult venire post me, abneget se sibi
et tollat crucem suam et sequatur me. 25 [Qui enim voluerit
animam suam salvam facere, perdet eam]; qui enim voluerit ani-
mam suam perdere propter me, inveniet eam. 26 Quid enim
prodest homini si hunc mundum lucretur, animæ vero suæ detri-
mentum paciatur? aut quam dabit homo commutacionem animæ
suæ? 27 Nam Filius hominis venturus est in maiestate patris
sui cum angelis suis, et tunc reddet unicuique secundum opera
eius. 28 Amen dico vobis quoniam sunt hic aliqui de istis a-

stantibus qui non gustabunt mortem quoadusque viderint filium
hominis venientem in regno suo.
XVII. 1 Et factum est post dies sex assumpsit Iesus Pe-
trum et Iacobum et Iohannem fratrem eius, et duxit illos in
montem excelsum seorsum: 2 et transfiguratus est Iesus ante
eos, et resplenduit facies eiut sicut sol, vestimenta autem eius
facta sunt alba sicut nix. 3 Et ecce apparuit illis Moyses et
Helias cum eo loquentes. 4 Respondens autem Petrus dixit ad
Iesum Domine, bonum est nos hic esse: faciamus hic tria taber-
nacula, tibi unum Moysi unum et Heliæ unum. 5 Adhuc eo
loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos, et ecce vox de nube
dicens Hic est filius meus dilectissimus, in quo mihi bene com-
placui: ipsum audite. 6 Et audientes discipuli eius ceciderunt
in faciem suam et timuerent valde. 7 Et accessit Iesus et tetigit
eos dixitque eis Surgite et nolite timere. 8 Levantes autem
oculos suos neminem viderunt nisi solum Iesum. 9 Et descen-
dentibus illis de monte præcepit illi Iesus dicens Nemini dixeri-
tis visum donec filius hominis a mortuis resurgat. 10 Et inter-
rogaverunt eum dicentes discipuli Quid ergo scribæ dicunt quod
Heliam oportet primum venire? 11 At ipse respondens ait He-
lias quidem venturus est et restituere omnia: 12 dico autem vo-
bis quia Helias iam venit, et non cognoverunt eum, et fecerunt
ei quanta voluerunt. 13 Tunc intellexerunt discipuli eius quod
de Iohanne baptista dixit illis. Sic et filius hominis necesse
habet pati ab eis 14 Et cum venisset ad turbam, accessit
ad eum homo genibus provolutis ante eum 15 dicens Domine,
miserere filio meo quia lunaticus est et male patitur: nam
sæpe cadit in ignem et aliquando in aquam. 16 Et obtuli
eum discipulis tuis, et non potuerunt curare eum. 17 Respon-
dens autem Iesus ait O generacio incredula et perversa, quoad-
usque paciar vos? quandiu ero vobiscum? Afferte huc illum
ad me. 18 Et increpavit illum Iesus, et exiit ab eo dæmonium,
et curatus est puer ex illa hora. 19 Tunc accesserunt ad Iesum
discipuli secreto et dixerunt ei Quare nos non potuimus eiicere
eum? 20 Dicit illis Iesus Propter incredulitatem vestram. Amen
dico vobis, si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis
monti huic Transi hinc illuc, et transibit, et nihil impossibile erit
vobis. 21 Hoc autem genus dæmonii non eiicietur nisi per ora-
cionem et ieiunium. 22 Ipsis autem revertentibus in Galilæam,
dixit illis Iesus Futurum est ut filius hominis tradatur in manus
hominum, 23 et occident eum, et post tercium diem resurget.
Et contristati sunt vehementer. 24 Et cum venissent Capharnaum,
accesserunt qui tributum exigebant ad Petrum et dixerunt ei Ma-
gister vester non solvit didragma? 25 At illi ait Etiam. Et
cum intrasset domum, prævenit eum Iesus dicens Quid tibi vide-
tur, Simon? reges terræ a quibus accipiunt tributum vel censum?

a filiis suis, an ab alienis? 26 At ille dixit Ab alienis. Dixit
illi Iesus Ergo liberi sunt filii. 27 Ut autem non scandalizemus
eos, vade ad mare et mitte hamum, et eum piscem qui primus
ascendit tolle illum, et aperto ore eius invenies ibi staterem:
illum sumens da eis pro me et te.

XVIII. 1 In illa die accesserunt discipuli eius ad Iesum
dicentes Quisnam maior est in regno cælorum? 2 Et Iesus
vocavit puerum et statuit eum in medio eorum 3 et dixit Amen
dico vobis, nisi conversi fueritis ut efficiamini sicut puer iste,
non intrabitis in regno cælorum. 4 Quicunque ergo humiliavit
se sicut puer iste, hic maior est in regno cælorum: 5 et qui
acceperit unum puerum talem in nomine meo, me accipit: 6 qui
autem scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt,
expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo eius et præci-
pitetur in profundo maris. 7 Væ autem huic mundo ab scandalis.
Necesse est enim venire scandala, verum tamen væ homini illi
per quem scandalum venit. 8 Quod si manus tua vel pes tuus
scandalizat te, abscide eum et proiice abs te: bonum tibi est in
vitam venire debilem vel claudum, quam duos pedes aut duas
manus habentem mitti in gehennam æternam. 9 Et si oculus tuus
scandalizat te, erue eum et proiice abs te: bonum tibi est unum
occulum habentem in vitam intrare, quam duos oculos habentem
mitti in gehennam ignis. 10 Videte ne contemnatis unum ex pusil-
lis his: qui credunt in me; dico enim vobis quod angeli eorum
in cælis semper vident faciem patris mei qui in cælis est. 11
Venit enim filius hominis salvare et quærere quod perierat. 12 Quid
vobis videtur? Si fuerint alicui homini centum oves et erraverit una
ex eis, nonne relinquet nonaginta novem in montibus et vadit
quærere eam quæ erravit? 13 Et si contigerit ut inveniat eam,
amen dico vobis quod gaudebit in eam magis quam super
nonaginta novem quæ non erraverunt. 14 Sic non est voluntas
ante patrem vestrum qui in cælis est ut pereat unus ex pusillis
istis. 15 Quod si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe
illum inter te et ipsum solum: si te audierit, lucratus eris fra-
trem tuum: 16 si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc
unum vel duos, ut in ore duorum testium vel trium stet omne
verbum. 17 Quod si non audierit eos, dic ecclesiæ: si autem
ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.
18 Amen amen dico vobis, quæcunque alligaveritis super terram,
erunt ligata et in cælo; et quæcunque solveritis super terram,
erunt soluta et in cælo. 19 Iterum amen dico vobis quod si duo ex
vobis consenserint super terram de omni re quamcunque petierint,
fiet illis a patre meo qui in cælis est: 20 ubi enim sunt duo
vel tres congregati in nomine meo, ibi et ego sum in medio eorum.
21 Tunc accedens ad eum Petrus dixit ei Domine, si peccaverit
in me frater meus quotiens dimittam illi? usque septies? 22 Di-
cit illi Iesus Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies

septies. 23 Ideo simile est regnum cælorum homini regi qui vo-
luit racionem ponere cum servis suis. 24 Et cum coepisset ra-
cionem ponere, oblatus est ei unus qui debebat centum ta-
lenta. 25 Cum autem non habebat unde redderet, iussit eum
dominus eius venundari et uxorem eius et filios et omnia quæ ha-
bebat, ut redderet debitum. 26 Procidens autem servus ille ro-
gabat dominum suum dicens Pacienciam habe in me, et omnia
reddam tibi. 27 Misericordia autem motus dominus servi illius
debitum remisit ei. 28 Regressus autem servus ille invenit
unum de conservis suis qui dedebat ei centum denarios, et tenens
suffocabat eum dicens Redde quod debes. 29 Et procidens conser-
vus eius rogabat eum dicens Pacientiam habe in me, et omnia
reddam tibi. 30 Ille autem noluit, sed abiit et misit eum in
carcerem donec redderet debitum. 31 Videntes autem conservi
eius quæ fiebant contristati sunt valde, et ennarraverunt omnia
quæ facta fuerant domino suo. 32 Tunc vocavit illum dominus suus
et ait illi Nequam serve, omne debitum remisi tibi, quia rogasti
me: 33 nonne ergo oportuit te misereri conservo tuo, sicut
et ego tui misertus sum? 35 Et iratus dominus eius tradidit
eum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum 35 Sic
et vobis faciet pater meus qui in cælis est, si non remiseritis
unusquisque fratri suo de cordibus vestris.
XIX. 1 Et factum est cum locutus esset sermones
istos, transtulit se a Galilæa et venit in finibus Iudææ trans
Iordanem, 2 et secutæ sunt eum turbæ multæ et curavit eos
ibi. 3 Et accesserunt ad eum Pharisæi temptantes eum et di-
centes illi Si licet homini dimittere uxorem suam quacunque ex
causa? 4 Et respondens Iesus ait eis Non legistis quia qui
fecit ab inicio masculum et feminam fecit eos, 5 et dixit Propterea
relinquet homo patrem aut matrem et adhærebit uxori suæ, et
erunt duo in carne una? 6 Itaque iam non sunt duo sed una
caro. Quod ergo deus iunxit, homo non separet, 7 Dicunt illi
Quid ergo Moyses mandavit dari libellum repudii et dimittere
uxorem? 8 Ait illis Iesus Quia ad duriciam cordis vestri permi-
sit vobis Moyses dimittere uxores vestras: ab inicio autem non
fuit sic. 9 Dico autem vobis quicunque dimiserit uxorem suam
excepta causa fornicacionis et aliam duxerit, moechatur, et qui
dimissam duxerit, moechatur. [10 Dicunt ei discipuli eius Si ita
est causa viri cum uxore, non expedit nubere]. 11 Ait autem
illis Iesus Non omnes capiunt verbum illud, sed quibus datum
est. 12 Sunt enim spadones qui de utero matris sunt nati, et
sunt spadones qui facti sunt ab hominibus, et sunt spadones qui
se ipsos castraverunt propter regnum cælorum. Qui potest capere
capiat. 13 Tunc oblati sunt ei infantes ut manus eis imponeret
et oraret; discipuli autem eius prohibebant eos. 14 Iesus vero
ait Sinite infantes, et nolite eos prohibere ad me venire: talium

est enim regnum cælorum. 15 Et cum imposuisset illis manus,
abiit inde. 16 Et ecce unus accessit ad illum et ait illi Magister
bone, quid boni faciam ut habeam vitam æternam? 17 At Iesus
dixit ei Quid me interrogas de bono? unus est bonus deus: si vis
in vitam venire, serva mandata. 18 Dixit illi Quæ? Iesus autem
dixit ei Non occides, non adulterium committes, non furtum facies,
non dices falsum testimonium, 19 honora patrem et matrem, et
diliges proximum tuum tanquam te ipsum. 20 Dicit illi adolescens
Omnia hæc custodivi a iuventute mea quid adhuc mihi
deest? 21 Ait illi Iesus Si vis perfectus esse, vade vende omnia
tua et da pauperibus, et habebis thesaurum in cælo, et veni
sequere me. 22 Cum audisset autem adolescens hoc verbum, abiit
tristis: erat enim habens multas possessiones. 23 Iesus autem
dixit discipulis suis Amen dico vobis quod dives difficile intrabit
in regnum cælorum. 24 Et iterum dico vobis, facilius est camelum
per foramen acus transire quam divitem intrare in regnum
cælorum. 25 His auditis discipuli mirabantur et timebant valde
dicentes Quis ergo poterit salvus esse? 26 Aspiciens autem Iesus
cogitaciones eorum dixit illis Apud homines hoc impossibile est,
apud deum autem omnia possibilia sunt. 27 Tunc respondens Petrus
dixit ei Ecce nos qui relinquimus omnia et secuti sumus te: quid
ergo erit nobis? 28 Iesus autem dixit illis Amen dico vobis quoniam
vos qui secuti estis me, in resurreccione, cum sederit filius hominis
in sede maiestatis suæ, sedebitis et vos super XII sedes
iudicantes XII tribus Israel. 29 Et omnis quicunque reliquerit
domum aut fratres aut sorores aut patrem aut matrem aut
uxorem aut filios aut agros propter nomen meum, centuplum
accipiet et vitam æternam consequetur. 30 Multi autem sunt
primi novissimi, et novissimi primi.

XX. 1 Simile est regnum cælorum homini patri familias,
qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam.
2 Convencione autem facta cum operariis ex denario diurno misit
eos operari in vineam suam. 3 Et egressus circa horam terciam
inuenit alios stantes in foro ociosos, 4 et illis dixit Ite et vos
in vineam meam, et quod iustum fuerit dabo vobis. 5 Illi autem
abierunt. Iterum exiit circa sextam et nonam horam, et fecit
similiter. 6 Circa undecimam autem horam exiit et invenit alios
stantes, et dicit illis Quid hic statis tota die ociosi? 7 Dicunt
ei Quia nemo nos conduxit. Dicit illis Ite et vos in vineam. 8
Cum sero autem factum fuisset, dicit dominus vineæ procuratori
suo Voca operarios et redde illis mercedem, incipiens a novissimis
usque ad primos. 9 Cum venissent ergo qui circa horam undecimam
venerant, acceperunt singulos denarios. 10 Venientes autem
et primi arbitrati sunt quod plus essent accepturi: acceperunt
autem et ipsi singulos denarios. 11 Et accipientes murmuraverunt
adversus patrem familias. 12 dicentes Hi novissimi una

hora fecerunt, et pares nobis illos fecisti qui portavimus pondus
diei et æstus. 13 At ille respondens uni eorum dixit Amice, non
tibi facio iniuriam: nonne ex denario convenisti mecum? 14 Tolle
itaque quod tuum est et vade: volo autem et huic novissimo
dare sicut et tibi. 15 Aut non licet mihi quod volo facere de
rebus meis? an oculus tuus nequam est quia ego bonus sum?
16 Sic erunt novissimi primi, et primi novissimi: multi sunt
enim vocati, pauci electi. 17 Et ascendens Iesus Ierosoli-
mam assumpsit XII discipulos in via seorsum et ait illis.
18 Ecce ascendimus Ierosolimam, et filius hominis tradetur prin-
cipibus sacerdotum et scribis, et condemnabunt eum morte, 19 et
tradent eum gentibus ad deludendum et flagellandum et crucifi-
gendum, et tercia die resurget. 20 Tunc accessit ad eum mater
filiorum Zebedæi cum filiis suis adorans et petens aliquid ab eo.
21 Ipse autem dixit ei Quid vis? Ait et illa Dic ut se-
deant hi duo filii mei unus ad dexteram tuam et unus ad si-
nistram in regno tuo. 22 Respondens autem Iesus dixit illis
Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem quem ego bibitu-
rus sum? Dicunt ei Possumus. 23 Ait illis Iesus Calicem
meum quidem bibetis; sedere autem ad dexteram meam aut ad
sinistram meam non est meum dare vobis, sed quibus paratum
est a patre meo. 24 Et audientes cæteri decem indignati sunt
de duobus fratribus. 25 Iesus autem vocavit eos ad se et ait
Scitis quod principes gencium dominantur eorum, et qui maiores
sunt potestatem exercent in eos. 26 Non ita erit inter vos, sed
quicunque voluerit inter vos maior esse, erit vester minister,
27 et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus:
28 sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare et
dare animam suam redempcionem pro multis; vos autem quæritis
de pusillo crescere et de maiore minores esse. Intrantes autem
et rogati ad cænam nolite recumbere in locis eminencioribus ne
forte clarior te superveniet, et accedens qui ad cænam vocavit
te dicat tibi: adhuc deorsum accede et confundaris. Si autem
recubueris in loco inferiori, et superveniet humilior te, dicat tibi,
qui te ad cænam vocavit: accede adhuc superius, et erit tibi
utilius. 29 Et egredientibus eis ab Iericho secutæ sunt eum
turbæ multæ. 30 ecce duo ceci secus viam audierunt quod Iesus
transiret, et clamaverunt dicentes miserere nobis Iesu fili David.
31 Turba autem increpabat eos ut tacerent. At illi magis cla-
mabant dicentes Domine, miserere nobis, fili David. 32 Et stetit
Iesus et vocavit eos ad se et ait illis Quid vultis ut faciam vobis?
33 Dicunt ei Domine, ut aperiantur oculi nostri. Quibus dixit
Iesus Creditis posse me hoc facere? Qui responderunt ei Ita
domine. 34 Misertus est autem illis Iesus et tetigit oculos eorum:
et confestim viderunt et secuti sunt eum.

XXI. 1 Et cum appropinquassent Ierosolimis venerunt

in Bethfage in montem oliveti, tunc Iesus misit duos discipulos
suos 2 dicens eis Ite in castellum quod contra vos est, et
invenietis asinam alligatam et pullum cum ea: solvite et adducite
mihi. 3 Et si quis vobis aliquid dixerit, dicite quia dominus
opera eorum desiderat, et confestim dimittet eos. 4 Hoc autem
factum est ut adimpleretur quod dictum est per Zachariam prophetam
dicentem 5 Dicite filiæ Syon Ecce rex tuus venit tibi mansuetus,
et sedens super asinam et pullum novellum subiugalem. 6 Euntes
autem discipuli fecerunt sicut præcepit illis Iesus, 7 et adduxe-
runt asinam et pullum eius, et imposuerunt super eos vestimenta
sua, et sedebat super eum Iesus. 8 Plurima autem turba strave-
runt vestimenta sua in via, alii autem cædebant de arboribus
ramos et straverunt in via; 9 turbæ autem quæ præcedebant et
quæ sequebantur clamabant dicentes Osanna filio David, bene-
dictus qui venit in nomine domini, osanna in excelsis. 10 Et
cum intrasset Ierosolimam, commota est universa civitas dicens
Quis est hic? 11 Multi autem dixerunt Hic est Iesus propheta
a Nazareth Galilææ. 12 Et intravit Iesus in templum dei, et
eiiciebat omnes ementes et vendentes in templo, et mensas numu-
lariorum et cathedras vendencium columbas evertit, 13 et dixit
illis Scriptum est Domus mea domus oracionis vocabitur: vos
autem fecistis illam speluncam latronum. 14 Et accesserunt ad
eum cæci et claudi in templo, et sanavit eos. 15 Videntes au-
tem principes sacerdotum et scribæ mirabilia quæ fecit Iesus et
pueros clamantes in templo et dicentes Osanna filio David, indi-
gnati sunt 16 et dixerunt ei Audis quid isti dicunt? Iesus autem
dixit illis Utique: non legistis quia ex ore infancium et lactan-
cium perfecisti laudem? 17 Et relictis illis abiit foras extra civi-
tatem in Bethaniam, ibique mansit. 18 Mane autem transiens Iesus
in civitatem esuriit, 19 et videns fici arborem unam secus viam
venit ad eam, et nihil invenit in illa nisi folia tantum. Et ait
illi Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum. Et are-
facta est continuo ficulnea. 20 Et videntes discipuli mirabantur
dicentes Quomodo continuo aruit? 21 Respondens autem Iesus
dixit illis Amen dico vobis, si habueritis fidem et non hæsitave-
ritis, non solum de ficulnea facietis, sed et si monti huic dixeri-
tis Tolle et iactare in mare, fiet: 22 et omnia quæcunque
petieritis in oracione credentes accipietis. 23 Et cum venisset
in templum, accesserunt ad eum principes sacerdotum et seniores
populi dicentes In qua potestate hæc facis? et quis tibi dedit
hanc potestatem? 24 Respondens Iesus dixit illis Interrogabo
vos et ego unum verbum, dicite mihi, et ego vobis dicam in qua
potestate hæc facio. 25 Baptismum Iohannis unde erat? de cælo
an ex hominibus? At illi cogitabant inter se dicentes 26 Si
dixerimus de cælo, dicet nobis Quare ergo non credidistis illi?
si autem dixerimus Ex hominibus, timemus turbam: omnes enim

habebant Iohannem sicut prophetam. 27 Et respondentes ad
Iesum dixerunt Nescimus. Ait illis et Iesus Neque ego vobis dico
in qua potestate hæc facio. 28 Quid autem vobis videtur?
Homo quidam habuit duos filios, et accedens ad primum dixit
Fili, vade hodie operare in vineam meam. 29 At ille respondens
ait Nolo; postea autem pænitencia motus abiit in vineam.
30 Accessit autem ad alterum et dixit illi similiter. At ille
respondens ait Eo, domine; et non abiit. 31 Quis ex duobus
fecit voluntatem patris? Dicunt ei Primus. Dicit illis Iesus
Amen dico vobis quod meretrices et publicani præcedent vos in
regno dei. 32 Venit enim Iohannes ad vos in via iusti-
ciæ, et non credidistis ei: publicani autem et meretrices credide-
runt ei, vos autem videntes hæc pænitenciam habuistis postea
quod non credidistis. 33 Aliam parabolam audite. Homo erat
pater familias qui plantavit vineam, et sepem ei circumdedit et
fodit in ea torcular et ædificavit in ea turrim, et locavit eam
colonis et peregre profectus est. 34 Cum tempus autem fructuum
appropinquasset, misit servos suos ad colonos ut acciperent de
fructibus suis. 35 Et apprehensis servis eius unum ceciderunt,
alium autem lapidavernnt, alium vero occiderunt. 36 Iterum
misit alios servos plures prioribus, et fecerunt eis similiter.
37 Novissime autem misit illis filium suum unicum dicens Forsitan
verebuntur filium meum. 38 Coloni autem videntes filium dixe-
runt inter se Hic est hæres: venite occidamus eum, et habebi-
mus hæreditatem eius. 39 Et apprehensum eum occiderunt et
eiecerunt eum extra vineam. 40 Cum ergo venerit dominus
vineæ, quid faciet colonis illis? 41 Dixerunt Malos male per-
det, et vineam locabit aliis colonis, qui reddent ei fructum
temporibus suis. 42 Dicit illis Iesus Nunquam legistis in scri-
pturis Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in
caput anguli; a domino factus est hic, et est mirabilis in oculis
nostris? 43 Ideo dico vobis quia auferetur a vobis regnum dei
et dabitur genti facienti fructum eius. 44 Et qui ceciderit super
lapidem istum confringetur: super quem vero ceciderit, conteret
eum. 45 Et cum audissent principes sacerdotum et Pharisæi
parabolas eius, cognoverunt quod de ipsis diceret: 46 et quæren-
tes eum tenere timuerunt turbas, quoniam sicut prophetam eum
habebant.

XXII. 1 Et respondens Iesus dixit illis iterum in parabolis
dicens 2 Simile est regnum cælorum homini regi qui fecit nupcias
filio suo. 3 Et misit servos suos vocare invitatos ad nupcias, et
noluerunt venire. 4 Iterum misit alios servos suos dicens Dicite
invitatis Ecce prandium meum paravi, tauri mei et saginacio occisa
et omnia parata sunt: venite ad nupcias. 5 Illi autem neglexe-
runt, et abierunt alii in villam suam, alii vero ad negociacionem
suam; 6 reliqui vero tenuerunt servos eius et contumelia affe-

ctos occiderunt. 7 Ille autem rex cum audisset iratus est, et
misit exercitum suum et perdidit homicidas illos, et civitatem
illorum succendit. 8 Tunc ait servis suis Nupciæ quidem paratæ
sunt, sed qui fuerunt invitati non fuerunt digni. 9 Ite ergo ad
exitus viarum, et quoscunque inveneritis vocate ad nupcias.
10 Et egressi servi eius in vias congregaverunt omnes quotquot
invenerunt bonos et malos, et impletæ sunt nupciæ discumben-
cium. 11 Intravit autem rex videre discumbentes, et videt ibi
hominem non vestitum vestimento nupciali, 12 et ait illi Amice,
quomodo huc venisti non habens vestem nupcialem? At ille
obmutuit. 13 Tunc ait rex ministris Tollite illum manibus et
pedibus et mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus et
stridor dencium. 14 Multi autem sunt vocati, pauci vero electi.
15 Tunc abierunt Pharisæi et consilium fecerunt ut eum cape-
rent in sermone. 16 Et miserunt ad eum discipulos suos cum He-
rodianis dicentes Magister, scimus quia verax es et viam dei in
veritate doces, et non est tibi cura de aliquo: non enim respicis
personas hominum: 17 dic ergo nobis, quid tibi videtur? licet
censum dari cæsari aut non? 18 Cognita autem Iesus nequicia
eorum ait Quid me temptatis, hypocritæ? 19 Ostendite mihi nu-
misma census. At illi obtulerunt ei denarium. 20 Et ait illis
Iesus Cuius est imago hæc et superscripcio? 21 Dicunt ei Cæ-
saris. Tunc ait illis Iesus Reddite quæ sunt cæsaris cæsari, et quæ
sunt dei deo. 22 Et illi audientes mirati sunt, et relicto eo abie-
runt. 23 In illa die accesserunt ad eum Sadducæi, qui dicunt
non esse resurreccionem, et interrogaverunt eum 24 dicentes
Magister, Moyses dixit Si quis mortuus fuerit non habens filium,
ut ducat frater eius uxorem illius et suscitet semen fratris sui.
25 Erant autem apud nos septem fratres: et primus uxore ducta
defunctus est, non habens semen et reliquit uxorem suam fratri
suo. 26 Similiter et secundus et tercius, usque ad septimum.
27 Novissime autem omnium et mulier defuncta est. 28 In re-
surreccione autem cuius erit de septem uxor? omnes enim eam
habuerunt. 29 Respondens autem Iesus ait illis Erratis, ne-
scientes scripturas neque virtutem dei. 30 In resurreccione enim
neque nubent neque ducunt uxores, sed sunt sicut angeli in
cælo. 31 De resurreccione autem mortuorum non legistis quod
dictum est vobis a deo dicente. 32 Ego sum deus Abraham et
deus Ysaac et deus Iacob? Non est deus mortuorum sed vivo-
rum. 33 Et audientes turbæ mirabantur in doctrina eius.
34 Pharisæi autem audientes quod silencium imposuisset Saddu-
cæis, convenerunt ad eum, 35 et interrogavit eum unus ex eis
legis doctor temptans eum et dicens 36 Magister, quod est man-
datum magnum in lege? 37 Ait illi Iesus Diliges dominum deum
tuum in toto corde tuo et in tota anima tua et in omni virtute
tua. 38 Hoc est maximum et primum mandatum. 39 Secundum

autem simile est huic Dilliges proximum tuum tanquam te
ipsum. 40 In his duobus mandatis universa lex pendet et pro-
phetæ. 41 Congregatis autem Pharisæis interrogavit eos Iesus
42 dicens Quid vobis videtur de Christo? cuius filius est?
Dicunt ei David. 43 Ait illis Quomodo ergo David in spiritu
vocat eum dominum, dicens 44 Dixit dominus domino meo Sede
a dextris meis donec ponam inimicos tuos scabellum pedibus tuis.
45 Si ergo David in spiritu vocat eum dominum, quomodo filius
eius est 46 Et nemo poterat respondere ei verbum, neque au-
sus est quisquam ex illa die interrogare eum amplius.

XXIII. 1 Tunc Iesus locutus est ad turbas et ad discipu-
los suos 2 dicens Super cathedram Moysi sederunt scribæ et
Pharisæi: 3 omnia ergo quæcunque dixerint vobis servate et
facite; secundum autem facta eorum nolite facere: dicunt enim
et ipsi non faciunt. 4 Alligant autem honera gravia et importa-
bilia et imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt
ea movere. 5 Omnia vero opera sua faciunt ut videantur ab
hominibus: dilatant enim phylacteria sua et magnificant fimbrias
suas: 6 amant autem primos discubitus in cænis et primas
chathedras in synagogis 7 et salutaciones in foro et vocari ab
hominibus rabbi. 8 Vos autem nolite vocari rabbi: unus est
enim magister vester, omnes autem vos fratres estis. 9 Et pa-
trem nolite vocare vobis super terram: unus est enim pater
vester qui in cælis est. 10 Nec vocemini magistri, quia magister
vester unus est Christus. 11 Qui maior est vobis, erit vester
minister: 12 qui autem se exaltaverit humiliabitur, et qui se
humiliaverit exaltabitur. 13 Væ autem vobis, scribæ et Phari-
sæi hypocritæ, quia clauditis regnum cælorum ante homines: vos
enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare. 14 Væ vobis
scribæ et Pharisæi hypocritæ quoniam comeditis domos viduarum oc-
casione longa orantes; propterea accipietis amplius iudicium. 15 Væ
vobis, scribæ et Pharisæi hypocritæ, quia circuitis mare et aridam ut
faciatis unum proselytum, et cum fuerit factus, facitis eum filium
gehennæ duplo quam vos. 16 Væ vobis, duces ceci qui dicitis
Quicunque iuraverit per templum, nihil est; quicunque autem iuraverit
in aurum templi debitor est. 17 Stulti et ceci, quid enim maius
est, aurum an templum quod sanctificat aurum? 18 Et quicunque
iuraverit in altare, nihil est; sed quicunque iuraverit in
dono quod est super illud debitor est. 19 Stulti et ceci, quid
enim maius est, donum an altare quod sanctificat donum? 20 Qui
ergo iurat in altare, iurat in eo et in omnibus quæ super illud
sunt: 21 et qui iurat in templo, iurat in eo et in illo qui ha-
bitat in ipso: 22 et qui iurat in cælo, iurat et in throno dei et
in eo qui sedet super eum. 23 Væ vobis, scribæ et Pharisæi
hypocritæ, quia decimatis mentham et anethum et ciminum, et
reliquistis quæ graviora sunt legis: iudicium et misericordiam et

fidem: hæc oportuit facere et illa non omittere. 24 Duces ceci,
liquantes culicem, camelum autem glutientes. 25 Væ vobis,
scribæ et Pharisæi hypocritæ, quia mundatis quod de foris est
calicis et parapsidis, intus autem pleni estis rapina et intempe-
rancia. 26 Pharisei et cesi, mundate prius quod intus est calicis et
parapsidis, ut fiat id quod de foris est mundum. 27 Væ vo-
bis, scribæ et Pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulchris
dealbatis, quæ foris parent hominibus speciosa, intus vero
plena sunt ossibus mortuorum et omni spurcicia. 28 Sic et vos
a foris quidem paretis hominibus iusti, intus autem pleni estis
hypocrisi et iniquitate. 29 Væ vobis, scribæ et Pharisæi hypo-
critæ, qui ædificatis sepulchra prophetarum et ornatis monumenta
iustorum, 30 et dicitis Quia si fuissemus in diebus patrum nostrorum,
non essemus socii eorum in sanguine prophetarum. 31 Itaque
testimonium redditis vobis quia filii estis eorum qui prophetas occi-
derunt. 32 Et vos implete mensuram patrum vestrorum. 33 Ser-
pentes progenies viperarum, quomodo fugietis a iudicio gehennæ?
34 Ideo ecce ego mitto ad vos prophetas et sapientes viros et scri-
bas, ex illis occidetis et crucifigetis, et ex eis flagellabitis in
synagogis vestris et persequemini de civitate in civitatem,
35 donec veniat super vos omnis sanguis iustus qui effusus est
super terram, a sanguine Abel iusti usque ad sanguinem Zacha-
riæ filii Barachiæ, quem occidistis inter templum et altare.
36 Amen vobis dico, venient hæc omnia super generacionem
istam. 37 Ierusalem Ierusalem, quæ occidis prophetas et lapidas
eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos,
quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas suas, et noluisti.
38 Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. 39 Dico autem
vobis, quia non me videbitis a modo donec dicatis Benedictus qui
venit in nomine domini.

XXIV. 1 Et egressus Iesus de templo ibat, et accesserunt
ad eum dissipuli eius ut ostenderent ei structuras templi. 2 Ipse
autem respondens dixit illis Videtis hæc omnia? Amen dico
vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem qui non destrua-
tur. 3 Sedente autem ipso in monte oliveti accesserunt ad eum
discipuli eius secreto dicentes Dic nobis, quando hæc erunt, et
quod signum adventus tui et consummacionis sæculi? 4 Et re-
spondens Iesus dixit eis Videte ne quis vos seducat ullo modo.
5 Multi enim venient in nomine meo dicentes Ego sum Christus,
et multos seducent. 6 Audientes autem proelia et opiniones
proeliorum: videte ne turbemini; oportet enim hæc fieri, sed
nondum est finis. 7 Insurget enim gens contra gentem et re-
gnum contra regnum, et erunt pestilenciæ et fames et terræ mo-
tus per singula loca. 8 Hæc autem omnia inicia sunt dolorum.
9 Tunc tradent vos in tribulacionem et occident vos, et eritis
odio omnibus gentibus propter nomen meum. 10 Et tunc scan-

dalizabuntur multi et invicem tradent et odio habebunt invicem.
11 Et multi pseudoprophetæ insurgent et seducent multos.
12 Et quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum.
13 Sed qui permanserit usque ad finem, hic salvus erit.
14 Et prædicabitur hoc evangelum regni in universo orbe in testimonium omnibus gentibus, et tunc veniet concummacio. 15 Cum
ergo videritis abhominacionem desolacionis, quæ dicta est a Danielo propheta, stantem in loco sancto: qui legit intelligat:
16 tunc qui in Iudæa sunt fugiant in montibus, 17 et qui in
tecto est non descendat tollere aliquid de domo sua, 18 et qui
in agro est non revertatur tollere tunicam suam. 19 Væ autem
prægnantibus et nutrientibus in illis diebus. 20 Orate ergo ne
fiat fuga vestra hieme vel sabbato. 21 Erit autem tunc tribulacio
magna, qualis non fuit ab inicio sæculi usque modo neque fiet;
22 et nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro:
sed propter electos meos breviabuntur dies illi. 23 Tunc si quis
vobis dixerit Ecce hic Christus, aut ecce illic, nolite credere. 24 Exsurgent enim pseudoprophetæ et pseudochristi, et dabunt signa
magna et prodigia, ita ut in errorem inducant, si fieri potest,
etiam electos meos. 25 Ecce prædixi vobis. 26 Si autem dixerint vobis Ecce in deserto est, nolite credere: Ecce in cubiculis
nolite exire. 27 Sicut enim fulgur exit ab oriente et paret
usque ad occidentem, ita erit et adventus filii hominis. 28 Ubicumque enim fuerit corpus, illic congregabuntur aquilæ. 29 Statim
autem post tribulacionem dierum illorum sol obscurabitur, et luna
non dabit lumen suum, et stellæ cadent de cælo, et virtutes
cælorum movebuntur: 30 et tunc parebit signum filii hominis in
cælo, et tunc plangent se omnes tribus terræ, et videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute magna et maiestate.
31 Et mittet angelos suos cum tuba et voce magna, et congregabunt electos eius a quatuor ventis a summis cælorum usque
ad terminos eorum. Cum coeperint autem hæc fieri, respicite et
levate capita, quoniam appropinquit redempcio vestra. 32
A fici autem arbore discite parabolam. Cum iam ramus eius
tener factus fuerit et folia nascentur, scitis quia prope est
æstas: 33 ita et vos cum andieritis hæc omnia fieri, scitote quia
prope est in ianuis. 34 Amen dico vobis quia non præteribit
hæc generacio donec omnia hæc fiant. 35 Cælum et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt. 36 De die autem illa
et de hora nemo scit, neque angeli cælorum, nec filius, nisi solus pater,
37 Sicut autem in diebus Noe, ita erit adventus filii hominis.
38 Sicut enim erant in diebus illis ante diluvium manducantes
et bibentes, nubentes et nuptum tradentes, usque in eo die quo
introivit Noe in arcam, 39 et non cognoverunt donec venit diluvium et tulit omnes, sic erit et adventus filii hominis. 40 Tunc
duo erunt in agro: unus assumetur, et unus relinquetur; 41 duæ

molent in mola: una assummetur, et una relinquetur; duo in
lecto, unus assumetur et unus relinquetur. 42 Vigilate ergo,
quia nescitis qua hora dominus vester venturus sit. 43 Il-
lud autem scitote, quoniam si sciret pater familias qua hora fur
venit, vigilaret utique et non sineret perfodiri domum suam.
44 Ideoque et vos estote parati, quia nescitis qua hora filius
hominis venturus est. 45 Quisnam est fidelis servus et prudens,
quem constituit dominus suus super familiam suam, ut det illis
cibum in tempore? 46 Beatus ille servus quem veniens do-
minus eius inveniet sic facientem. 47 Amen vobis dico quoniam
super omnia bona sua constituet eum. 48 Si autem dixerit malus
servus ille in corde suo Moram facit dominus meus venire, 49 et
incipiet percutere conservos suos, manducet autem et bibat cum
ebriis: 50 veniet autem dominus servi illius in die qua non
sperat et hora qua ignorat, 51 et dividet eum, partemque eius
ponet cum hypocritis: illic erit fletus et stridor dencium.

XXV. 1 Tunc simile æstimabitur regnum cælorum decem
virginibus, quæ acceperunt lampades suas et venerunt obviam
sponso et sponsæ. 2 Quinque autem ex eis erant fatuæ, et
quinque prudentes: 3 sed quinque fatuæ acceptis lampadibus suis
non sumpserunt oleum secum, 4 prudentes vero acceperunt oleum
in vasis suis cum lampadius suis. 5 Moram autem sponso faciente
dormitaverunt omnes et dormierunt. 6 Media autem nocte clamor
factus est Ecce sponsus venit, surgite obviam ei. 7 Tunc sur-
rexerunt omnes virgines illæ et acceperunt lampades suas. 8 Fa-
tuæ autem sapientibus dixerunt Date nobis de oleo vestro, quia
lampades nostræ extinguntur. 9 Responderunt prudentes dicentes
Ne forte non sufficiat nobis et vobis, ite potius ad vendentes et
emite vobis. 10 Dum autem eunt emere, venit sponsus, et quæ
paratæ fuerant intraverunt cum eo ad nupcias, et clausa est
ianua. 11 Novissime autem venerunt reliquæ virgines dicentes
Domine domine, aperi nobis. 12 Ait eis Amen dico vobis, quod
nescio vos. 13 Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam.
14 Sicut enim homo peregre profecturus vocavit servos suos et
tradidit eis bona sua, 15 et uni dedit quinque talenta, alii autem
duo, alii vero unum, unicuique autem secundum propriam virtutem, et
profectus est 16 Continuo autem abiit qui quinque talenta acce-
perat, et operatus est in eis et lucratus est alia quinque. 17
Similiter et qui duo talenta acceperat lucratus est in eis alia
duo. 18 Qui autem unum talentum accepit, fodit in terram et
abscondit pecuniam domini sui. 19 Post multum vero temporis
venit dominus servorum illorum et posuit racionem cum eis.
20 Et accedens qui quinque talenta acceperat obtulit alia quinque
talenta dicens Domine, quinque talenta mihi tradidisti, ecce alia
quinque superlucratus sum. 21 Ait illi dominus eius Euge, serve
bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te

constituam: intra in gaudium domini tui. 22 Accessit autem et
qui duo talenta acceperat et ait Domine, duo talenta dedisti
mihi, ecce alia duo lucratus sum. 23 Ait illi dominus eius Euge,
serve bone et fidelis, quia super pauca fidelis, super multa te
constituam: intra in gaudium domini tui. 24 Accedens autem
qui unum talentum acceperat ait Scio domine, quia homo durus
es, et metes ubi non seminasti, et congregas ubi non sparsisti:
25 et timens abii et abscondi talentum tuum in terra: ecce ha-
bes quod tuum est. 26 Respondens autem dominus eius dixit ei
Nequam serve male et piger, sciebas quia meto ubi non semino, et
congrego ubi non spargo? 27 oportuit ergo te committere pecuniam
meam numulariis, et veniens ego recepissem quod meum est
28 Tollite ab eo itaque talentum, et date ei qui habet decem
talenta. 29 Omni enim habenti dabitur et abundabit; ei autem
qui non habet, et quod habet auferetur ab eo. 30 Et
nequam servum proiicite foras in tenebras exteriores: illic erit
fletus et stridor dencium. 31 Cum autem venerit filius hominis
in maiestate sua, et omnes angeli cum eo, tunc sedebit super
sedem maiestatis suæ, 32 et congregabuntur ante eum omnes
gentes et segregabit eos ab invicem sicut pastor segregat oves
ab hædis, 33 et statuet oves a dextris suis, hædos autem a
sinistris. 34 Tunc dicet rex his qui a dextris eius sunt Venite
benedicti patris mei, possidete regnum quod vobis præparatum
est ab origine huius mundi. 35 Esurivi enim et dedistis mihi
manducare, sitivi et dedistis mihi bibere, hospes eram et collexi-
stis me, 36 nudus et vestistis me, infirmus et visitastis me, in
carcere eram et venistis ad me. 37 Tunc respondebunt ei iusti
dicentes Domine, quando te vidimus esurientem et pavimus te,
sitientem et dedimus tibi bibere? 38 Quando autem te vidimus
hospitem et suscepimus aut nudum et vestivimus te? 39 Aut quando
te vidimus infirmum aut in carcerem, et venimus ad te? 40 Et
respondens rex eis dicet illis Amen amen dico vobis, quandiu
fecistis uni horum fratrum meorum minimorum, mihi fecistis.
41 Tunc dicet et his qui a sinistris eius sunt Discedite a me
maledicti, ite in ignem æternum, quem paravit pater meus diabolo
et angelis eius. 42 Esurivi enim et non dedistis mihi mandu-
care, sitivi et non dedistis mihi bibere, 43 hospes eram et non
collegistis me, nudus et non cooperuistis me, infirmus et in car-
cerem et non visitastis me. 44 Tunc respondebunt et ipsi dicentes
Domine, quando te vidimus esurientem aut sitientem aut hospi-
tem vel nudum aut in carcerem aut infirmum, et non ministravi-
mus tibi? 45 Tunc respondebit et ipsis dicens Amen dico vobis,
quandiu non fecistis uni ex minimis his, nec mihi fecistis. 46 Et
ibunt hi in ignem æternum, iusti autem in vitam æternam.

XXVI. 1 Et factum est postquam consummavit Iesus
sermones hos omnes, dixit discipulis suis 2 Scitis quia post bi-
duum pascha fiet, et filius hominis tradetur ut crucifigatur.

3 Tunc congregati sunt principes sacerdotum et scribæ et seniores
populi in atrium principis sacerdotum qui vocatur Caiphas, 4 et con-
silium fecerunt ut Iesum dolo tenerent et occiderent eum, 5 Dice-
bant autem Non in die festo hæc facerent, ne forte tumultus fieret
in populo. 6 Cum autem esset Iesus in Bethania in domo Simonis
leprosi, 7 accessit ad eum mulier habens alabastrum unguenti preciosi,
et effudit supra caput eius recumbente ipso. 8 Videntes autem
indignati sunt discipuli eius dicentes Ut quid perdicio hæc? 9
Potuit enim istud unguentum venundari precio et dari pauperibus.
10 Quod ut cognovit Iesus ait illis Ut quid molesti estis mulieri
huic? opus bonum operata est in me. 11 Nam semper pauperes
habetis vobiscum, me autem non semper habebitis. 12 Mittens
enim hæc unguentum hoc in corpus meum ad sepeliendum me
fecit, 13 Amen dico vobis, ubicunque prædicatum fuerit hoc
evangelium in toto mundo, dicetur et quod hæc fecit in memo-
riam ipsius. 14 Tunc abiit unus de duodecim, qui vocabatur Iu-
das Scariotha ad principes sacerdotum 15 et ait illis Quid vultis
mihi dare, et ego vobis illum tradam? At illi constituerunt ei XXX
argenteos. 16 Et exinde quærebat oportunitatem temporis ut eum
traderet eis. 17 Prima autem azymorum accesserunt discipuli ad
Iesum dicentes Ubi vis paremus tibi manducare pascha? 18 At
ille dixit eis Ite in civitatem ad quendam et dicite ei Magister
dicit Tempus meum prope est, apud te facio pascha cum disci-
pulis meis. 19 Et fecerunt discipuli sicut constituit illis Iesus,
et paraverunt pascha. 20 Vespere autem facto discubuit cum
duodecim discipulis suis, 21 et edentibus illis dixit Amen dico
vobis quod unus vestrum me traditurus est. 22 Et contristati nimis
coeperunt singuli dicere Nunquid ego sum, domine? 23 At ipse
respondens ait Qui intingit mecum manum in parabsidem, hic
me tradet. 24 Et filius quidem hominis vadit sicut scriptum est de
illo; væ autem homini illi per quem filius hominis tradetur:
bonum erat homini illi non nasci. 25 Respondit autem Iudas,
qui traditurus erat eum et dixit Nunquid ego sum, rabbi? Ait
illi Iesus Tu dixisti. 26 Ipsis autem cænantibus accepit Iesus
panem et benedixit et fregit et dedit discipulis suis dicens Ac-
cipite et manducate, hoc est corpus meum. 27 Et accipiens cali-
cem gracias egit et dedit illis dicens 28 Hic est calix sanguinis
mei novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissione
peccatorum. 29 Dico autem vobis, non bibam a modo de hac
creatura vitis usque in diem illum cum illud bibam novum in
regno patris mei. 30 Et ymno dicto exierunt in montem oliveti.
Tunc dicit illis Iesus Omnes vos scandalum paciemini in me hac nocte:
scriptum est enim Percuciam pastorem, et dispergentur oves gre-
gis. 32 Sed postquam resurrexero, præcedam vos in Galilæam.
33 Respondens autem Petrus dixit Si omnes scandalizati fuerint
in te, ego nunquam scandalizabor. 34 Dixit illi Iesus Amen dico

tibi quod hac nocte ante quam gallus cantet ter me negabis
35 Ait illi Petrus Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te
negabo. Similiter et omnes discipuli dixerunt. 36 Tunc venit
Iesus cum illis in prædium quod dicitur Gessamani, et dixit
discipulis suis Sedete hic donec eo illuc orare. 37 Et ussumpto
Petro et duobus filiis Zebedæi coepit contristari et mestus esse.
38 Tunc ait illis Tristis est anima mea usque ad mortem: su-
stinete hic et vigilate mecum. 39 Et progressus pusillum proci-
dit in faciem suam orans et dicens Pater meus, si fieri potest
transfer a me calicem istum; verum tamen non sicut ego volo sed
sicut tu vis. 40 Et venit ad discipulos suos et invenit eos dormi-
entes, et ait Petro sic Non potuistis una hora vigilare mecum?
Vigilate et orate ut non intretis in temptacionem: spiritus quidem
promptus est, caro autem infirma. 42 Iterum secundo abiit et
oravit dicens Pater, si non potest hic calix transire nisi bi-
bam illum, fiat voluntas tua. 43 Et venit iterum et invenit eos
dormientes; erant enim oculi eorum gravati. 44 Et relictis illis
iterum abiit et oravit tercio eundem sermonem dicens. 45 Tunc
venit ad discipulos suos et dicit illis Dormite iam et requiescite:
ecce appropinquavit hora, et filius hominis tradetur in manus
peccatorum. 46 Surgite, eamus: ecce appropinquavit qui me
tradet. 47 Adhuc ipso loquente, ecce Iudas unus de XII
venit, et cum eo turba multa cum gladiis et fustibus, missi a
principibus sacerdotum et senioribus plebis. 48 Qui autem tradi-
dit illum, dedit illis signum dicens Quemcunque osculatus fuero,
ipse est, tenete eum. 49 Et confestim accedens ad Iesum dixit
Ave rabbi, et osculatus est eum. 50 Dixitque illi Iesus,
Ad quid venisti amice? Tunc accesserunt et iniecerunt manus
in Iesum et tenuerunt eum. 51 Et ecce unus ex his qui erant
cum Iesu extendens manum exemit gladium suum, et percussit
servum principis sacerdotum amputavit auriculam eius. 52 Tunc
ait illi Iesus Converte gladium tuum in locum suum: omnes enim
qui accipiunt gladium gladio peribunt. 53 Aut non putas me
posse rogare patrem meum modo et exhibebit mihi plus quam
duodecim millia legiones angelorum? 54 Quomodo ergo implebun-
tur scripturæ quia sic oportet fieri? 55 In illa hora dixit Iesns
turbis Tamquam ad latronem venistis ad me cum gladiis et fusti-
bus comprehendere me: cotidie apud vos sedebam in templo
docens et non me tenuistis. 56 Hoc autem totum factum est ut
impleantur scripturæ prophetarum. Tunc discipuli omnes relicto
eo fugerunt. 57 At illi tenentes Iesum duxerunt eum ad Caiphan
principem sacerdotum, ubi scribæ et seniores convenerant.
58 Petrus autem sequebatur eum a longe usque in atrium prin-
cipis sacerdotum: et ingressus intro sedebat cum ministris ut vi-
deret finem. 29 Principes autem sacerdotum et universum concilium
quærebant falsum testimonium adversus Iesum, ut eum morti trade-

rent, et non invenerunt 60 et cum multi falsi testes accessissent:
non invenerunt in eo quicquam; novissime autem venerunt duo falsi
testes 61 et dixerunt Audivimus hunc dixisse Possum destruere
templum hoc dei et post triduum aliud reedificare. 62 Et surgens
princeps sacerdotum ait illi Nihil respondes ad hæc quæ isti adversum
et testificantur? 63 Iesus autem tacebat. Et respondens princeps
sacerdotum ait illi Adiuro te per deum vivum ut dicas nobis si
tu es Christus filius dei. 64 Dicit illi Iesus Tu dixisti: amen
dico vobis, a modo videbitis filium hominis sedentem ad dexteram
virtutis et venientem cum nubibus cæli. 65 Tunc princeps sa-
cerdotum conscidit vestimenta sua dicens Blasphemavit: quid
adhuc egemus testibus? ecce nunc audivimus blasphemiam. 66 Quid
vobis videtur? At illi responderunt omnes et dixerunt Reus est
mortis. 67 Tunc expuerunt in faciem eius et colaphis eum ce-
ciderunt, alii autem palmas in faciem eius dederunt, 68 dicentes
Prophetiza nobis, Christe, quis est qui te percussit? 69 Petrus
vero sedebat foris in atrio, et accessit una ex ancillis dicens Et
tu cum Iesu Galilæo eras. 70 Et ille negavit coram omnibus
dicens Nescio quid dicis. 71 Exeunte autem illo ianuam vidit
eum alia ancilla et ait his qui erant ibi Et hic erat et cum
Iesu Nazareno. 72 Et iterum negavit cum iuramento dicens Non
novi hominem. 73 Et post pusillum accesserunt qui stabant
et dixerunt Petro Vere ex illis es tu: nam et loquela tua simi-
lis est. 74 Tunc coepit devotare se et iurare quod non nosset
hominem. Et continuo gallus cantavit. 75 Et rememoratus est
Petrus verbi Iesu quod dixerat Prius quam gallus cantet ter me
negabit: et egressus foras ploravit amare.

XXVII. 1 Et cum mane factum esset consilium fecerunt
omnes principes sacerdotum et seniores plebis adversus Iesum, ut
eum morti traderent. 2 Et vinctum adduxerunt eum et tradide-
runt Pontio Pilato præsidi. 3 Tunc videns Iudas qui eum tradi-
dit, quia damnatus est, pænitencia ductus retulit XXX ar-
genteos principibus sacerdotum et senioribus 4 dicens Peccavi
quod tradiderim sanguinem iustum. At illi dixerunt Quid ad
nos? tu videris. 5 Et proiectis argenteis in templo secessit, et
abiit et laqueo se suspendit. 6 Tunc principes sacerdotum accep-
tis argenteis dixerunt Non licet mittere eos in loculum, quia precium
sanguinis est. 7 Consilio autem facto inter se emerunt ex eis
agrum figuli in sepulturam peregrinorum. 8 Propter hoc vocatus
est ager ille Acheldemach, quod est ager sanguinis, usque in
hodiernum diem. 9 Tunc impletum est quod dictum est per Ie-
remiam prophetam dicentem Et acceperunt XXX argenteos
precium appreciati quod appreciaverunt a filiis Israel, 10 et de-
derunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi dominus. 11 Ie-
sus autem stetit ante præsidem, et interrogavit eum præses di-
cens Tu es rex Iudæorum? Dicit ei Iesus Tu dicis. 12 Et cum

accusaretur a principibus sacerdotum et senioribus, nihil respon-
dit. 13 Tunc dicit illi Pilatus Non audis quanta adversum te
dicunt testimonia? 14 Et non respondit ei ullum verbum, ita ut
miraretur præses vehementer. 15 Per diem autem sollemnem
consueverat præses dimittere populo unum vinctum quem voluis-
sent, 16 Habebat autem vinctum insignem qui dicebatur
Barabbas. 17 Congregatis autem eis dixit illis Pilatus Quem vul-
tis vobis dimittam, Barabbam aut Iesum qui dicitur Christus?
18 Sciebat enim quod per invidiam tradiderunt eum. 19 Sedente
autem illo pro tribunali misit ad illum uxor eius dicens Nihil
tibi sit et iusto illi: multa enim hodie per somnum passa sum
propter eum. 20 Principes autem sacerdotum et seniores persua-
serunt populis ut peterent Barabbam, Iesum vero perderent.
21 Respondens vero præses ait illis Quem vultis vobis dimittam?
At illi dixerunt Barabbam. 22 Dicit illis Pilatus Quid ergo
faciemus de Iesu qui dicitur Christus? 23 Dicunt omnes Cruci-
figatur. Ait illis præses Quid enim mali fecit? At illi magis
clamabant dicentes Crucifigatur. 24 Videns autem Pilatus quia
nihil proficit sed magis tumultum fieri, accepta aqua lavit manus
coram populo dicens Innocens ego sum a sanguine iusti huius:
vos videritis. 25 Et respondens universa turba dixit Sanguis eius
super nos et super filios nostros. 26 Tunc dimisit eis Barabbam;
Iesum autem flagellis cæsum tradidit eis ut cruci eum figerent.
27 Tunc milites præsidis susceperunt eum in prætorio et congregave-
runt ad eum universam cohortem: 28 et induerunt eum tunicam
purpuream et chlamidem coccyneam circumdederunt ei, 29 et
coronam de spinis posuerunt super caput eius et arundinem in
dextera eius, et adgeniculantes ante eum deludebant eum
dicentes Ave rex Iudæorum. 30 Et expuentes in eum acce-
perunt arundinem et percuciebant caput eius. 31 Et postquam
illuserunt eum exuerunt eum chlamidem et induerunt eum vesti-
menta eius, et duxerunt eum ut crucifigerent. 32 Exeuntes autem
invenerunt hominem Cyrenæum venientem obviam sibi nomine Si-
monem, hunc angariaverunt ut tolleret crucem eius. 33 Et vene-
runt in locum qui dicitur Golgotha, quod est calvariæ locus.
34 Et dederunt ei acetum bibere cum felle mistum, et cum
gustasset noluit bibere. 35 Postquam autem crucifixerunt eum.
diviserunt vestimenta eius sortem mittentes ut impleratur quod
dictum est per prophetam Diviserunt vestimenta mea sibi, et
super vestem meam miserunt sortem. 37 Et inposuerunt super
caput eius causam ipsius scriptam Hic est Iesus rex Iudæorum.
38 Tunc crucifixerunt cum eo duo latrones, unus a dextris no-
mine Zoatham et unus a sinistris nomine Camma, 39 Transeun-
tes autem blasphemabant eum, moventes capita sua 40 et
dicentes Vah qui destruebat templum dei et in triduo illud
reedificabat: libera te, si filius dei es, et descende de cruce.

41 Similiter et principes sacerdotum deludentes eum cum scribis et
Pharisæis dicebant 42 Alios salvos fecit, se ipsum non potest
salvum facere: si rex Israel est, descendat nunc de cruce, et
credimus ei. 43 Confidit in deum, liberet nunc eum si vult eum;
dixit enim Quia filius dei sum 44 Id ipsum autem et latrones
qui crucifixi erant cum eo inproperabant ei. 45 Et postquam
crucifixus est a sexta autem hora tenebræ factæ sunt super universam terram usque ad horam nonam. 46 Circa autem horam nonam
clamavit Iesus voce magna dicens Eli eli lamma sabacthani, hoc
est Deus meus deus meus, ut quid me dereliquisti? 47 Quidam
autem illic stantes et audientes dicebant Heliam vocat iste. 48 Et
continuo currens unus ex eis acceptam spongiam implevit aceto
et inposuit arundini, et dabat ei bibere. 49 Ceteri vero dixerunt
Sine videamus si veniat Helias et liberabit eum. 50 Iesus autem
iterum clamans voce magna emisit spiritum. 51 Et ecce velum
templi scissum est in duas partes a summo usque deorsum, et
terra mota est, et petræ scissæ sunt, 52 et monumenta aperta
sunt, et multa corpora sanctorum dormiencium exsurrexerunt.
53 Et exeuntes de monumentis post resurreccionem eius venerunt in sanctam civitatem et apparuerunt multis. 54 Centurio
autem et qui cum eo erant custodientes Iesum, viso terræ motu
et his quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes Vere dei filius erat iste.
55 Erant autem ibi mulieres multæ a longe videntes, quæ secutæ
erant Iesum a Galilæa ministrantes ei: 56 inter quas erat Maria
Magdalene, et Maria Iacobi et Ioseph, et mater filiorum
Zebedæi. 57 Cum sero autem factum esset, venit quidam homo
dives ab Arimathia, nomine Ioseph, qui et ipse discipulus erat
Iesu: 58 hic accessit ad Pilatum et petiit corpus Iesu. Tunc
Pilatus iussit reddi corpus. 59 Et accepto corpore Ioseph involvit illud in syndone munda, 60 et posuit eum in monumento suo
novo quod excidit in petra, et advoluto saxo magno ad ostium
monumenti abiit. 61 Erat autem ibi Maria Magdalene et altera
Maria, sedentes contra sepulchrum. 62 Altera autem die, quæ
est post parasceven, convenerunt principes sacerdotum et Pharisæi
ad Pilatum 63 dicentes Domine recordati sumus quia seductor
ille dixit adhuc vivens Post tres dies resurgam. 64 Iube ergo
custodiri sepulchrum usque in diem tercium, ne forte veniant
discipuli eius et furentur eum et dicant plebi Surrexit a mortuis,
et erit novissimus error peior priore. 65 Ait illis Pilatus Habetis custodes: ite custodite sicut scitis. 66 Illi autem euntes cum
custodibus munierunt sepulchrum signantes lapidem cum custodibus.

XXVIII. 1 Vespere autem sabbati, quæ lucessit in prima
sabbati, venit Maria Magdalene et altera Maria videre sepulchrum.
2 Et ecce terræ motus factus est magnus: angelus enim domini
descendit de cælo et accedens revolvit lapidem, et sedebat super

eum: 3 erat autem aspectus eius sicut fulgur et vestimenta eius
velut nix. 4 A timore autem eius exterriti sunt custodes et
facti sunt velut mortui. 5 Respondens autem angelus dixit muli-
eribus Nolite timere vos: scio enim quod Iesum crucifixum quæ-
ritis: 6 non est hic, surrexit enim sicut dixit: venite videte
locum ubi positus erat dominus. 7 Et cito euntes dicite disci-
pulis eius quia surrexit a mortuis, et præcedit vos in Galileam:
ibi eum videbitis. Ecce dixi vobis. 8 Et exierunt cito de mo-
numento cum timore et gaudio magno currentes nunciare disci-
pulis eius. 9 Et ecce Iesus occurit illis dicens Avete. Illæ au-
tem accedentes tenuerunt pedes eius et adoraverunt eum.
10 Tunc ait illis Iesus Nolite timere: ite nunciate fratribus
meis ut eant in Galileam: illic me videbunt. 11 Quæ cum
abiissent, ecce quidam de custodibus venerunt in civitatem et
nunciaverunt principibus sacerdotum omnia quæ facta sunt. 12 Et
congregati cum senioribus accepto consilio pecuniam copiosam
dederunt militibus, 13 dicentes Dicite quia discipuli eius nocte
venerunt et furati sunt eum nobis dormientibus: 14 et si hoc
auditum fuerit a præside, nos persuadebimus ei et securos vos facie-
mus. 15 At illi accepta pecunia fecerunt sicut erant docti. Et
divulgatum est verbum istud apud Iudæos usque in hodiernum
diem. 16 Undecim autem discipuli abierunt in Galileam, in mon-
tem ubi constituerat illis Iesus, 17 et videntes eum adoraverunt,
quidam autem dubitaverunt. 18 Et accedens Iesus locutus est
eis dicens Data est mihi omnis potestas in cælo et in terra.
19 Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine
patris et filii et spiritus sancti, 20 docentes eos servare omnia
quæcunque mandavi vobis: et ecce ego vobiscum sum omnibus
diebus usque ad consummacionem sæculi, Amen.

Explicit evangelium Matthæi.

EVANGELIUM SECUNDUM MARCUM.

I. 1 Inicium evangelii Iesu Christi filii dei. 2 Sicut
scriptum est in Ysaia propheta Ecce mitto angelum meum ante
faciem tuam, qui præparabit viam tuam: 3 vox clamantis in deserto
Parate viam domini, rectas facite semitas dei nostri. 4 Omnis
vallis replebitur, et omnis mons et collis humiliabitur, et omnia
prava erunt recta, et aspera in planiciem. Et videbitur gloria

domini et videbit omnis caro salutare dei nostri; quoniam
deus locutus est. Vox dicentis clama. Et dixit: Quid cla-
mobo? omnis caro fenum, et omnis gloria sicut flos feni; aruit
fenum et flos decidit. Verbum autem domini manet in æternum.
Fuit Iohannes in deserto baptizans et prædicans baptismum
pænitenciæ in remissionem peccatorum. 5 Et veniebat ad illum
omnis Iudeæ regio et omnes Ierosolimitæ, et baptizabantur ab
illo in Iordane confitentes peccata sua. 6 Erat autem Io-
hannes ipse indutus pilos cameli, et zona pellicia circa lumbos
eius, et locustas et mel silvestre edens. Qui prædicabat dicens
7 Venit fortior me post me, cuius non sum dignus solvere cor-
rigiam calceamentorum eius: 8 ego baptizo vos in aqua, ipse au-
tem baptizabit vos in spiritu sancto. 9 Et factum est in illis
diebus venit Iesus a Nazareth Galileæ, et baptizatus est ab Io-
hanne in Iordane. 10 Et statim ascendens de aqua vidit aperiri
cælos et spiritum tanquam columbam descendentem super illum,
11 et vox facta est de cælo dicens Tu es filius meus charissi-
mus, in te complacui. 12 Et protinus spiritus expulit eum in
desertum. 13 Et erat in deserto diebus quadraginta et noctibus
quadraginta, et temptabatur a satana, et erat cum bestiis, et an-
geli ministrabant ei. 14 Et factum est postquam traditus est
Iohannes, venit Iesus in Galileam, prædicans evangelium regni
dei 15 quoniam adimpleta sunt tempora et appropinquavit regnum
dei: dicens Pænitemini et credite evangelium dei. 16 Et præte-
riens secus mare Galileæ vidit Simonem et Andream fratrem
eius, retia iactantes in mare; erant enim piscatores. 17 Dicit
ergo illis Iesus Venite post me, et faciam vos fieri piscatores
hominum. 18 Illi vero relictis omnibus secuti sunt eum. 19 Et
egressus inde pusillum vidit Iacobum Zebedei et Iohannem
fratrem eius, et in nave componentes retia, 20 et vocavit illos:
Qui statim relicto patre suo Zebedeo in navicula cum mercen-
nariis secuti sunt eum. 21 Et ingrediens cum eis sabbatis in
synagogam Capharnaum docebat populum, 22 et stupebant omnes
super doctrinam eius: erat enim docens eos ut potestatem habens
non sicut scribæ eorum. 23 Erat autem homo in syna-
goga habens spiritum immundum, et exclamavit 24 dicens Quid
nobis et tibi, Iesu Nazarene? venisti huc perdere nos? scio qui
sis, sanctus dei. 25 Et comminatus est ei Iesus dixitque Obmutesce
et exi ab homine spiritus immunde. 26 Et exclamavit voce magna
et discerpens eum spiritus immundus et exiit ab eo. 27 Et mi-
rati sunt omnes, et conquirebant inter se dicentes quænam
esset hæc doctrina? in potestate quam spiritibus immundis
imperat, et obaudiunt illi. 28 Et processit rumor iste in omnem
regionem illam Galileæ. 29 Egressus autem inde de synagoga
Iesus venit in domum Simonis et Andreæ et Iacobi et Iohannis.
30 Accumbebat autem socrus Simonis febricitans, et retulerunt

illi de illa. 31 Ille vero veniens apprehendit manum eius:
et levavit eam et continuo reliquit eam febris, et surrexit et
ministrabat eis. 32 Vespere autem facto, cum occidisset sol
afferebant ad eum omnes male habentes variis languoribus et
eos qui et dæmonia habebant, 33 et omnis civitas convenie-
bat ad ianuam eius 34 et curabat multos male habentes variis
languoribus, et dæmonia multa eiecit, et non permittebat ea loqui
quoniam cognoscebant eum. 35 Et diluculo exiens inde abiit in
desertum locum, ibique orabat. 36 Et secuti sunt illum Simon
et qui cum illo erant, 37 dicentes ei Quærebant te omnes 38
Quibus ipse ait Eamus in proximos vicos et civitates prædicare: ad
hoc enim veni. 39 Et erat prædicans in synagoga omnis Galileæ
et dæmonia eiiciens. 40 Et venit ad eum leprosus deprecans
eum, et dicens Domine si vis, potes me mundare. 41 Iesus au-
tem misertus est eius et extendens manum suam, dixit Volo,
mundare. 42 Et discessit ab eo lepra, et mundatus est. 44 Ait
illi Vide nemini dixeris, sed vade ostende te sacerdoti,
et offeres pro emundacione tua munus quod præcepit Moyses, in
testimonium illis. 45 At ille egressus coepit prædicare et diffa-
mare sermonem, ita ut non posset manifeste in civitate in-
troire sed foris in desertis locis esse, et conveniebant ad eum
undique.

II. 1 Et cum venisset Capharnaum post dies. 2 auditum
est quod in domo esset, et confestim convenerunt ad eum multi,
ita ut non caperet eos introitus ianuæ, et loquebatur ad eos
verbum. 3 Venerunt autem ad eum portantes in lecto para-
lyticum. 4 Et cum non possent accedere præ turba, denudave-
runt tecta ubi erat Iesus et summiserunt grabatum in quo pa-
ralyticus iacebat. 5 Cum vidisset autem Iesus fidem illorum, ait
paralytico Fili, remittuntur tibi peccata tua. 6 Erant autem illic
quidam de scribis sedentes et cogitantes in cordibus suis et di-
centes. 7 Quid est hic qui sic loquitur blasphemias? quis autem
potest dimittere peccata nisi solus deus? 8 Quo cognito Iesus in
spiritu quid cogitarent dixit ad illos Quid cogitatis in cordibus
vestris nequam? 9 Quid est facilius, dicere paralytico Remittun-
tur tibi peccata tua, aut dicere Surge et ambula? 10 Ut sciatis
autem quia potestatem habet filius hominis in terra dimittendi
peccata, ait paralytico. 11 Surge et tolle grabatum tuum et vade
in domum tuam. 12 Ille vero surgens sublato grabato suo coram omni-
bus abiit ita ut admirarentur turbæ et honorificarent deum, dicentes
quoniam nunquam taliter viderunt. 13 Et progressus est rursus ad
mare et omnes turbæ veniebant ad eum, et docebat eos. 14 Et
cum præterisset vidit Iacobum Alphæi sedente ad teloneum, et
ait illi Sequere me. Et exsurgens secutus est eum. 15 Et fac-
tum est discumbentibus illis in domo, multi publicani et pecca-
tores simul recumbebant cum Iesu et cum discipulis eius: erant

enim multi qui secuti sunt eum. 16 Scribæ autem et Pharisei
videntes quia manducabat cum peccatoribus et publicanis dicebant
discipulis eius Quare magister vester cum publicanis et peccatori-
bus manducat et bibit? 17 Iesus autem cum hoc audisset dixit
Non egent sani medico sed male habentes; non enim veni vocare
iustos sed peccatores in pænitenciam. 18 Et erant discipuli Io-
hannis et Pharisei ieiunantes: et venientes dixerunt illi Quare
discipuli Iohannis et Phariseorum ieiunant, discipuli autem tui non
ieiunant? 19 Ait illis Iesus Nunquid possunt filii sponsi quandiu
cum illis sponsus est ieiunare? Quanto tempore habent secum
sponsum, non possunt ieiunare. 20 Venient autem dies cum
auferetur ab eis sponsus, et tunc ieiunabunt in illis diebus.
21 Nemo autem assumentum panni novi assuit vestimento veteri:
sin autem tollit supplementum veteri, et maior fit scissura.
22 Et nemo mittit vinum novum in utres veteres: sed in novos;
alioquin disrumpit vinum utres, et vinum effundetur et utres
peribunt: sed vinum novum in utres novos mitti debet. 23 Factum
est autem cum sabbatis transiret per sata, discipuli autem eius
coeperunt vellere spicas et manducare. 24 Pharisei autem dice-
bant ei Ecce Quid faciunt sabbatis discipuli tui quod non licet
eis? 25 Quibus ipse dixit Nec hoc legistis quid fecerit David,
cum fuisset in necessitate et esurisset ipse et qui cum illo erant?
26 quomodo intravit in domum dei sub Abiathar principe sacer-
dotum et manducavit panes proposicionis, et dedit eis qui cum illo
erant quos non licebat manducare nisi solis sacerdotibus? 28 Dico
autem vobis quoniam filius hominis etiam dominus est sabbati.

III. 1 Et cum introisset in synagogam, accessit ad eum
homo qui habebat manum aridam: 2 et observabant eum si sab-
batis curaret, ut haberent unde accusarent eum. 3 Et ait homi-
ni qui habebat manum aridam Surge et sta in medio. 4 Quo
facto dixit ad illos Licet sabbatis bene facere aut male? animam
salvam facere aut perdere? At illi tacebant. 5 Et circumspiciens eos
cum indignacione, super emortua illorum corda dixit homini Ex-
tende manum tuam. Et extendit, et restituta est manus ei sicut
altera. 6 Exeuntes autem inde Pharisei cum Herodianis consili-
um faciebant ut illum perderent. 7 Iesus autem secessit
cum discipulis suis ad mare, et multa turba a Galilea et Iudea:
8 et ab Ierosolimis et a trans Iordanem et de circa Tyrum et Sy-
donem sequebantur eum, audientes quanta faciebat. 9 Tunc dixit
Iesus discipulis suis ut navicula sibi deserviret propter turbam,
ne affligeretur: 10 multos enim sanabat, ita ut irruerent in eum
ut illum tangerent quotquot habebant plagas, 11 Sed et spiritus im-
mundi cum illum videbant, procidebant ei et clamabant dicentes
12 Tu es filius dei. Et comminabatur eis ne alicui manifesta-
rent illum. 13 Et ascendens in montem convocavit ad se quos
voluit, et venerunt ad eum. 14 Et fecit eos ut essent duodecim

secum: 15 et dedit illis potestatem curandi valetudines et eiicere
dæmonia et circumeuntes prædicarent evangelium. 16 Et inposuit
nomen Simoni Petrus, 17 et Iacobum Zebedei et Iohannem
fratrem Iacobi, communiter autem convocavit eos Boanerges, quod
est filii tonitrui, 18 erant autem Simon et Andreas, Iacobus et
Iohannes, Philippus et Bartholomæus, Iudas et Matthæus, Thomas
et Iacobus Alphæi et Taddæus, Simon Chananeus 19 et Iudas
Scarioth, qui et tradidit illum. 20 Et venit iterum turba ad
eum, ita ut non possent panem manducare. 21 Et cum audissent
de eo scribæ et Pharisei, exierunt tenere eum: 22 dicebant enim
Beelzebub habet, principem dæmoniorum et per eum eiicit dæmo-
nia. 23 Et convocavit eos et dicebat illis Iesus in parabo-
lam Quomodo potest sathanas sathanan eiiciere? 24 Et si regnum
in semetipsum dividatur, non potest stare regnum illud. 25 Et
si domus in semetipsam disperciatur, non potest domus illa
stare. 26 Et si sathanas sathanan expellit divisum est regnum illius
non potest stare sed finem habet. 27 Nemo potest vasa fortis
diripere ingressus in domum, nisi prius fortem ligaverit, et tunc
domum eius diripiet 28 Amen amen dico vobis quoniam remit-
tentur omnia peccata et blasphemiæ filiis hominum: 29 qui au-
tem blasphemaverit in spiritu sancto, non habebit remissionem
in æternum, sed reus erit sempiterni delicti. 30 Quoniam dice-
bant spiritum immundum habere. 31 Et venerunt mater eius et
fratres eius, et foris stantes miserunt ad illum vocantes eum.
32 Et sedentes circa eum turbæ, dixerunt ei Ecce mater tua et
fratres tui et sorores tuæ foris stantes quærunt te videre 33 Qui
respondens dixit illis Quæ est mater mea aut qui sunt fratres
mei? 24 Et circumspiciens eos qui in circuitu eius sedebant
dixit Ecce mater mea et fratres mei: 35 et qui fecerit volunta-
tem dei, hic frater meus et soror et mater est.

IV. 1 Et coepit iterum docere ad mare, et congregata est
ad eum turba multa, ita ut in navem ascenderet et sedens proxime
littus, et omnis turba in littore staret. 2 Et docebat illos in
parabolis dicens. 3 Ecce exiit seminans seminare. 4 Et dum se-
minat, aliud cecidit secus viam, et venerunt aves et comederunt
illud. 5 Aliud vero cecidit supra petrosa et quoniam non habebat
terram multam et statim exortum est; 6 et quia non habebat radi-
cem facto æstu exaruit. 7 Et aliud cecidit in spinis, et ascenderunt
spinæ et suffocatum est, et fructum non dedit. 8 Aliud autem
cecidit in terram bonam, et dabat fructum ascendentem et crescentem,
et afferebat fructum tricessimum aliud sexagesimum aliud centesimum.
9 Et dicebat Qui habet aures audiendi audiat. 10 Et cum esset
singuluris, interrogaverunt eum discipuli eius quæ esset parabola
hæc. 11 Quibus ipse dixit Vobis datum est nosse mysterium
regni dei, illis autem qui foris sunt in parabolis dicitur, 12 ut

videntes videant et non videant, et audientes audiant et non
intelligant, nequando convertantur et remittantur eis peccata.
13 Et ait illis Nescitis parabolam istam, et quomodo omnes pa-
rabolas cognoscetis? 14 Qui loquitur verbum ipse est qui seminat.
15 Hi autem qui seminantur circa viam ipsi sunt qui negligunt
verbum suscipientes et cum audierint, venit confestim sathanas et
auferet verbum quod seminatum est in eis. 16 Et hi sunt qui
seminati sunt super petrosa, qui cum audierint verbum cum gau-
dio accipiunt illud, 17 et non habent radicem in se sed sunt
temporales, deinde orta tribulacione et persecucione propter ver-
bum confestim scandalizantur. 18 Et alii qui in spinis seminantur:
hi sunt qui verbum audiunt, 19 et sollicitudinibus victi et de-
lectacionibus mundi abalienati offocant verbum, et sine fructu
efficiuntur. 20 Et hi sunt qui super terram bonam ceciderunt,
qui audiunt verbum et suscipiunt, et fructificant unum tricesi-
mum et unum sexagesimum et unum centesimum. 21 Et dicebat
illis Nunquid ascenditur lucerna ut sub modio ponatur aut sub lecto?
sed supra candelabrum ponitur? 22 Non enim est aliquid abscondi-
tum quod non manifestetur, nec factum occultum quod non in palam
veniat. 23 Qui habet aures audiendi, audiat. 24 Et iterum dicebat
illis Iesus Videte quid audiatis: in qua mensura mensi fueritis in
eadem remetietur vobis, et adiungetur vobis. 25 Qui enim habet,
dabitur illi et qui non habet et quod habet auferetur ab illo. 26 Et
dicebat Sic est regnum dei, quemadmodum si homo mittat semen
super terram, 27 et dormiat et semen surgat diem et noctem et ger-
minet et crescat dum nescit ille. 28 Ultro enim terra fructificat
primum herbam deinde spicam, deinde plenum triticum spicæ.
29 Et cum mutaverit fructum, mittet falcem quoniam adest mes-
sis. 30 Et dicebat Cui similabimus regnum dei, aut in quam
parabolam similabimus illud? 31 Simile est regnum dei sicut
granum sinapis, quod cum seminatum est in terra, minus est
omnibus seminibus quæ sunt in terra, 32 et ubi creverit fit
malus omnibus holeribus et facit ramos magnos, ita ut possint
sub umbra eius aves cæli inhabitare. 33 Talibus parabolis
loquebatur ad eos, qualiter poterant audire; 34 sine parabolis
autem non loquebatur ad eos, secreto autem discipulis suis disse-
rebat omnia. 35 Et ait illis Iesus in illa die cum sero esset factum
Transeamus contra. 36 Et dimittunt turbas et accipiunt eum ita
ut erat in navi, et aliæ naves simul erant cum illo. 37 Et facta
est procella magna venti, et fluctus mittebat in navi, ita ut
impleretur navis. 38 Et erat ipse in puppe super cervical dor-
miens: et excitantes eum dicunt ei Magister, non est tibi
cura quoniam perimus? 39 Et exsurgens comminatus est vento
et mari dicens, Obmutesce. Et cessavit ventus, et facta est
tranquillitas magna. 40 Et ait illis Quid timidi estis? nondum
fidem habetis? Et timuerunt timore magno, et dicebant ad alte-

rutrum Quis putas est iste, quomodo venti et mare obaudi-
unt ei?
V. 1 Et venerunt trans fretum maris in regionem Gerase-
norum. 2 Et descendentibus illis de navi obviat illis homo de
monumentis spiritum immundum habens, 3 qui habebat domici-
lium in monumentis, et neque catena iam quisquam eum alligare
poterat, 4 quod sæpe ligatus compedibus et catenis vinctus dis-
rupisset eas nec quisquam valeret amplius eum domare, 5 nocte au-
tem et die in monumentis erat, exclamans et concidens se lapidibus.
6 Videns autem Iesum a longe accucurrit et adoravit eum, 7 et
exclamans voce magna dixit Quid mihi et tibi est, Iesu fili dei sum-
mi? audiuro te per deum, ne me torqueas. 8 Dicebat enim illi Exi
spiritus immunde ab homine. 9 Et interrogaverit eum Iesus Quod
tibi nomen est? Qui respondens dixit Nomen mihi legio est, quia
multi sumus. 10 Rogabant autem eum multum ne expelleret eos fo-
ras regionem. 11 Erat autem ibi grex porcorum magnus circa montem
pascens: 12 et rogaverunt eum dæmones dicentes Mitte nos in
porcos, ut in eos intremus. 13 Et continuo Iesus misit eos in
porcos, Qui introeuntes in porcos spiritus immundi fecerunt impetu
magno ire [in] gregem per præceps et ceciderunt in mare quasi ad
duo millia, et suffocati sunt in mare. 14 Qui autem pascebant illos
fugerunt et renunciaverunt in civitatem et in agros: et egressi
sunt videre quid esset quod factum est 15 et venerunt ad Iesum,
et viderunt illum hominem qui vexabatur a dæmonio sedentem
vestitum et sanæ mentis sobrium, et timuerunt valde 16 Narra-
verunt autem illis hi qui viderant qualiter factum sit ei qui
dæmonium habuerat, et de porcis. 17 Illi vero rogare coe-
perunt Iesum ut discederet a finibus eorum. 18 Cumque ascen-
deret Iesus navem, coepit illum deprecari is qui a dæmonio
vexabatur ut esset cum illo. 19 Iesus non permisit ei, sed ait
illi Vade in domum tuam ad tuos, et adnuncia illis quanta tibi
dominus fecit et quomodo misertus est tui. 20 Ille vero egressus
coepit prædicare in Decapoli quanta sibi fecit Iesus, et omnes
mirati sunt. 21 Et cum transfretasset inde iterum Iesus, convenit
ad illum turba multa iuxta mare. 22 Et ecce quidam de princi-
pibus synagogæ, nomine Iairus videns Iesum procidit ad pedes
eius, 23 et rogabat eum dicens Filia mea in extremis est: sed
veni impone manum tuam super eam, et vivet. 24 Et abiit cum illo,
et sequebatur Iesum turba multa, comprimentes eum. 25 Et ecce
mulier quæ fuerat in profluvio sanguinis per annos duodecim,
26 quæ multa pertulerat a pluribus medicis et erogaverat omnia
sua, et nihil profecerat sed peius habebat, 27 cum hæc audito
Iesu, venit in turba et tetigit vestimentum eius: 28 dicens intra
se Si vestimentum eius tetigero, salva ero. 29 Et confestim
siccatus est fons sanguinis eius, et sensit corpori suo quod esset
salva. 30 Cognovit autem Iesus virtutem quæ exierat de se, et

conversus ad turbas ait Quis tetigit vestimenta mea? 31 Dixe-
runt autem discipuli eius Vides turbam comprimentem te, et
dicis Quis tetigit vestimenta mea? 32 Cum autem circumspexisset,
33 mulier timens et tremens, sciens quod factum esset in se, proci-
dens ante eum dixit quid factum est. 34 Iesus vero ait ad illam
Filia, fides tua te salvam fecit: vade in pace, et esto salva a
plaga tua, et sana facta est mulier. 35 Adhuc eo loquente venerunt
ad principem synagogæ dicentes Filia tua mortua est: quid amplius
vexas illum? 36 Iesus autem audito verbo ait archisynagogo Noli
timere, tantum crede. 37 Et non admisit quemquam sequi se
nisi Petrum et Iacobum et Iohannem fratrem Iacobi. 38 Et venit
in domum archisynagogi, et videt flentem turbam et clamantem
multum, 39 et ingressus ait Quid turbamini et ploratis? puella
non est mortua sed dormit. 40 Illi vero irridebant illum. Ipse
vero eiecta turba foris assumpsit patrem et matrem puellæ
et qui cum eo erant, et introivit ubi erat puella iacens. 41 Et
tenens manum eius ait illi Thabitha cumi, quod est interpretatum
Puella, tibi dico, surge. 42 Et confestim surrexit puella et am-
bulabat: erat autem annorum duodecim: et obstupuerunt omnes
stupore maximo. 43 Et præcepit illis Iesus ut nemini dicerent,
sed darent illi aliquid manducare.

VI. 1 Et egressus inde Iesus abiit in patriam suam cum
discipulis suis. 2 Et coepit sabbatis in synagoga docere: ita ut
admirarentur in doctrina eius omnes et dicentes Unde huic tanta?
quæ est sapiencia quæ data est illi, et virtutes quæ per labia
eius efficiuntur? 3 Nonne hic est fabri filius et Mariæ, frater
Iacobi et Iudæ et Simonis? nonne et sorores eius hic sunt no-
biscum? Et hæc dicentes scandalizabantur in illo. 4 Dicebat au-
tem ad eos Iesus Quia non est propheta sine honore nisi in
domo et in patria sua. 5 Et non faciebat illic virtutes multas,
nisi paucos infirmos inponens eis manus curavit. 6 Et mirabatur
propter incredulitatem illorum. Et circumibat castella in circuitu
docens. 7 Et convocatis XII, misit illos binos, et dans illis
potestatem fugare spiritus immundos, 8 præcipiens illis ne
quid secum tollerent in via nisi virgam tantum non peram non
panem neque nummos in zonis, 9 sed calciatos caligulas, et
ne induerentur duas tunicas. 10 Et dixit eis Quocunque in-
troieritis in domum, ibi manete donec exeatis inde. 11 Et qui-
cunque non receperint vos neque audierint vos, exeuntes inde
excutite pulverem de pedibus vestris quod subtus in testimonium
illis. 12 Et exeuntes prædicate ut pænitenciam agant, 13 Et
quidam illorum multa dæmonia eiiciebant, et imponentes oleum
multos ægros sanabant. 14 Cum audisset rex Herodes, mani-
festum enim fuerat ei nomen Iesu, et dicebat quod Iohannes
baptista surrexisset a mortuis, et ideo virtutes per illum effici-
untur. 15 Alii autem dicebant de eo quod Helias venerit, alii

vero unum de, prophetis. 16 Quo audito Herodes dixit Quem
ego decollavi Iohannem, hic resurrexit a mortuis. 17 Ipse enim
Herodes misit et tenuit Iohannem et alligavit eum in carcere
propter Herodiadem uxorem Philippi fratris sui, quod eam uxo-
rem duxisse: 18 dicebat enim illi Iohannes Non licet tibi habere
uxorem fratris tui. 19 Herodias autem insidiabatur illi et quære-
bat occideri illum, nec poterat: 20 Herodes vero timebat Iohan-
nem, sciens eum virum esse iustum et sanctum, et observabat
eum, et cum audisset illum multa facere libenter eum audiebat.
21 Et cum dies autem oportunus accidisset natalis Herodis, fecit
cænam magnam principibus suis et tribunis et primis Galileæ:
22 introivit vero filia Herodiadis saltare et cum saltasset
placuit Herodi et simul recumbentibus, nunc dixit rex ad puel-
lam Pete a me quid vis, et dabo tibi. 23 Et iuravit illi quia
quodcunque petieris dabo tibi, etiam dimidium regni mei. 24 Quæ
cum exisset ad matrem suam, dixit ei Quid petam? Illa vero di-
xit Caput Iohannis baptistæ. 25 Illa autem ingressa ad regem,
petit sibi dari caput Iohannis baptistæ. 26 Et contristatus
est rex ut audivit; propter iusiurandum autem et recumbentes
simul noluit negare, 27 sed misso spiculatore præcepit afferri
caput eius in disco. Et cum abisset decollavit eum in carcere,
28 et attulit caput eius in disco et dedit puellæ, illa autem
dedit matri suæ. 29 Quo audito discipuli eius venerunt et tule-
runt corpus eius et posuerunt illud in monumento. 30 Et reversi
apostoli ad Iesum renunciaverunt ei omnia quæ fecerant et quo-
modo docuerunt. 31 Et ait illis Iesus Venite eamus in desertum
locum et requiescite pusillum. Erant autem quidam euntes, et
nec manducandi spacium habebant. 32 Et ascendentes in navi
abierunt in desertum locum secreto. 33 Et viderunt eos abeun-
tes et convenerunt pedestres multi ab omnibus civitatibus et
concurrerunt illuc. 34 Cum vero Iesus vidisset turbam, misertus
est illis, quia erant sicut oves quibus non est pastor, et coepit
docere eos. 35 Et cum iam hora multa fieret, accesserunt ad
eum discipuli dicentes Desertus locus est, et hora iam præ-
terivit: 36 dimitte illos ut euntes in proximas villas et castella
emant sibi cibos quos manducent. 37 Quibus Iesus dixit Date illis
vos manducare. Illi autem dixerunt Euntes ememus panes, du-
centorum denariorum et dabimus illis manducare. 38 Ipse vero
ait illis Quot panes hic habetis? ite videte. Qui dixerunt Quin-
que panes et duos pisces. 39 Et præcepit illis ut discumberent
omnes per contubernia super viride fenum. 40 Et discubuerunt
plurimi per centenos et quinquagenos. 41 Et accepit Iesus quin-
que panes et duos pisces respiciens in cælum benedixit et gracias
agens fregit quinque panes et duos pisces et dedit discipulis suis
ut ponerent eos, et posuerunt ante illos ut manducarent. 42 Et
manducaverunt omnes et saturati sunt: 42 et sustulerunt fragmen-

torum XII cofinos plenos, et de piscibus. 44 Erant autem
qui manducaverunt panes et pisces quinque millia virorum. 45 Et
surgens coegit discipulos suos ascendere navem ut præcederent
eum trans fretum ad Bethsaidam, dum ipse dimitteret populum.
46 Et cum dimisisset eos, abiit in montem orare. 47 Et cum
sero esset factum, venit Iesus. 48 Et invenit illos in mari tri-
bulari in tempestate remigantes, erat enim illis ventus contrarius,
et ipse solus erat super terram et erat hora circiter quartam
vigiliam noctis; venit ergo ipse ambulans super mare, et volebat
transire illos. 49 Illi vero ut viderunt illum ambulantem super
mare, putaverunt phantasma esse, et exclamantes: 50 omnes con-
turbati sunt. Ipse autem dixit ad illos Animæquiores estote, ego
sum, nolite timere. 51 Et ascendit in navem ad illos, et cessavit
ventus: alii autem magis plus stupebant. 52 Non enim intellexe-
runt de panibus: erat enim cor illorum obtusum. 53 Et cum
transfretassent inde, pervenerunt in terram Gennesar. 54 Et
egressus de navi, continuo cognoverunt eum habitantes loci illius
55 et circumcurrentes universam regionem illam; coeperunt in
grabatis male habentes circumferre ubicunque audiebant eum
esse. 56 Et quocunque introisset in vicos vel in civitates aut in
villas ponebant infirmos suos in plateis, et deprecabantur illum
ut vel fimbriam vestimenti eius tangerent, et quotquot tangebant
eum salvi fiebant.

VII. 1 Et convenerunt ad eum Pharisei et quidam de
scribis, venientes ab Ierosolimis. 2 Qui cum vidissent quosdam
ex discipulis eius non lotis manibus manducare panem, vitupe-
raverunt illos. 3 Pharisei autem et omnes Iudæi, nisi pugillo lavent
manus, non manducant panem suum, tenentes tradicionem senio-
rum, 4 et cum a foro venerint nisi baptizentur cibum non acci-
piunt: et alia multa sunt quæ tradita sunt illis servare baptis-
mata calicum et urceorum et æramentorum et lectorum. 5 Et inter-
rogantes eum scribæ et Pharisei dixerunt Quare discipuli tui non se-
quuntur tradicionem seniorium, sed non lotis manibus manducant
panem? 6 Quibus ipse respondens dixit Bene prophetavit Ysaias
de vobis simulatoribus dicens Populus hic labiis me diligit,
cor autem illorum longe est a me: 7 vano autem colunt me,
docentes doctrinam et præcepta hominum. 8 Baptismos calicum et
urceorum et alia similia multa facitis, derelinquentes præ-
cepta domini et tenentes doctrina hominum. 9 Et dicebat illis
Bene irritum facitis testamentum dei ut tradicionem vestram statua-
tis. 10 Moyses enim dicit Honora patrem tuum et matrem tuam,
et Qui maledixerit patri aut matri, morte moriatur: 11 vos au-
tem dicitis Si dixerit homo patri suo aut matri Donum, quod-
qunque ex me tibi proficiet, quod est corban, 12 iam non missum facitis
illum quidquam facere patri aut matri, 13 irritum facientes ver-
bum domini per tradicionem vestram stultam quam tradidistis: et similia

huiusmodi multa facitis. 14 Et advocans ad se turbas dicebat
illis Audite me omnes et intelligite. 15 Nichil est extra hominem
introiens in eum quod eum possit communicare, sed quæ de
homine procedent, illa sunt quæ communicant hominem. 16 Et
si quis habet aures audiendi audiat. 17 Et cum introisset domum
a turbis, interrogabant eum discipuli eius parabolam istam.
18 Et ait illis Sic et vos inprudentes estis? non intellexistis
quoniam omne quod introit extrinsecus in hominem non potest eum
communicare, 19 quia non intrat in cor eius sed in ventrem, et
in secessum exit, purgans escam? 20 Dicebat autem quoniam
quæcunque de homine exeunt, ipsa communicant hominem:
21 ab intus autem sunt de corde hominum, cogitaciones malæ procedunt, adulteria, furta, fornicaciones, homicidia, 22 cupiditas, malicia,
dolus, inpudicicia, oculus malus, blasphemiæ, superbia, imprudencia 23 omnia hæc mala ab intus procedunt et communicant hominem; non lotis autem manibus manducare non coinquinat hominem:
24 Et exiens Iesus abiit in finibus Tyri et Sidonis: et ingressus
domum neminem volebat scire, et non potuit latere. 25 Mulier
enim statim ut audivit de eo, cuius filia habebat spiritum immundum, introivit ad eum: 26 erat enim Græca Syrophenissa genere, et procidens ad pedes eius rogabat eum ut eiiceret
dæmonium a filia eius. 27 Qui dixit Sine prius saturari filios:
non est enim bonum tollere panem filiorum et mittere catellis.
28 At illa respondens dixit ei Domine: sed et catelli sub mensa
de micis puerorum edent. 29 Qui dixit ad illam Vade propter
hunc sermonem exiet dæmonium a filia tua. 30 Et cum abisset
domum suam, invenit puellam iacentem super lectum et dæmonium ab ea fugatum. 31 Iterum venit Iesus per Sidonem ad mare
Galilææ inter medios fines Decapolis. 32 Et adduxerunt ad eum
surdum hominem et mutum, et deprecabantur eum ut ei manum imponeret. 33 Et accipiens eum a turba secreto expuit et immisit digitos in auriculas eius, et tetigit linguam eius, 34 et aspiciens
in cælum ingemuit, et ait illi Effetha, quod et Aperire. 35 Et
statim apertæ sunt aures eius, et solutum est vinculum linguæ eius,
et loquebatur confidenter. 36 Et præcepit illis ne cui dicerent.
Illi vero magis magisque prædicabant; 37 et eo amplius admirabantur dicentes Omnia bene facit, et surdis præstat auditum et
multis præbet loquellam.

VIII. 1 In ills autem diebus iterum cum multa turba esset
nec haberent quod manducarent, convocatis discipulis ait illis.
2 Misereor super istam turbam quoniam triduum est iam quod hic
sunt et non habent quod munducent, 3 et si sic illos remiserimus ire in domos suas ieiunos fatigantur in via: quoinam quidam
ex eis de longinquo venerunt. 4 Et respondentes ei discipuli sui dixerunt Unde istos quis potest saturare panibus in
deserto? 5 Qui interrogavit eos Quot panes habetis? Qui dixe-

runt Septem. 6 Iussit vero Iesus ut turbæ discumberent super
terram: et accipiens septem panes illos Iesus, gracias agens fregit et
dedit discipulis ut apponerent; et apposuerunt turbis. 7 Habuerunt
autem et paucos pisciculos: et ipsos benedixit et iussit apponi.
8 Et manducaverunt et saturati sunt, et sustulerunt quod supe-
raverat fragmentorum septem sportas. 9 Erant autem qui
manducaverant quasi quatuor millia hominum et dimisit illos.
10 Iesus autem ascendens navem venit cum discipulis suis in
finibus Mageda. 11 Et coeperunt Pharisæi conquirere cum
eo, quærentes ab eo signum de cælo videre temptantes illum.
12 Ipse autem ingemiscens in spiritu suo ait Quid generacio ista
quærit signum? .Amen dico vobis Si dabitur generacioni huic
signum. 13 Et dimittens eos ascendit navem et abiit ultra.
14 Et obliti sunt discipuli emere panes, nisi unum tantum quem
secum habebant in navi. 15 Et præcipit illis Iesus dicens
Videte, et cavete a fermento Pharisæorum et fermento Herodis.
16 Quo audito discipuli dicebant intra se quod panes non habent.
17 Quo cognito Iesus ait illis Quid cogitatis in cordibus vestris
quia panes non habetis? nondum intelligitis? nec respicitis? sic
obtusa sunt corda vestra? 18 oculos habetis et nondum vide-
tis, et aures habetis et non auditis, nec in mente habetis? 19
de quinque panibus quos fregi in quinque millia hominum, ex quibus
quot cofinos fragmentorum sustulistis? Qui dixerunt Duodecim.
20 Et quando septem panes fregi in quatuor millia, hominum
quot sportas fragmentorum tulistis plenas? At illi dixerunt Se-
ptem. 21 Et ait illis Quomodo nondum intelligitis? 22 Et vene-
runt Bethsaida: et ecce adducunt illi cæcum et rogaverunt illum
ut eum tangeret. 23 Et apprehensa manu cæci duxit illum
extra castellum, et expuit in oculos eius et imposuit illi manum
et interrogavit illum si aliquid videret. 24 Ille autem dixit Vi-
deo homines sicut arbores ambulantes. 25 Et rursus imposuit
manus suas super oculos eius, et coepit videre, et restitutus
est ei visus ita ut videret manifeste 26 Et dimisit illum in do-
mum suam præcipiens ei ne cui diceret in castellum. 27 Et profectus
inde Iesus cum discipulis suis venit in castella Cæsareæ Philippi:
et in via interrogabat discipulos suos dicens eis Quem me esse
dicunt homines? 28 Qui responderunt illi dicentes Iohannem
baptistam, alii Heliam, alii autem quasi unum ex prophetis.
Ipsos autem interrogavit dicens Vos vero quem me dicitis esse?
Cui respondens Petrus ait Tu es Christus. 30 Et comminatus
est ei Iesus ut nemini dicerent de se. 31 Et coepit docere
illis quoniam oportet filium hominis multa pati et reprobari a
senioribus et principibus sacerdotum et ab scribis et occidi et
post tres dies resurgere, 32 et palam verbum loquebatur. Quem
suscipiens Petrus coepit rogare ne cui hæc diceret. 33 Et con-
versus videns discipulos comminatus est Petro dicens Vade

post me, satanas, quoniam non sapis quæ dei sunt sed quæ sunt hominum. 34 Et convocata turba cum discipulis suis ait Si quis vult post me venire abneget se sibi et tollat crucem suam, et sequatur me. 35 Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam suam propter me et evangelium, salvam facit illam. 36 Quid enim proderit homini, si lucretur universum orbem et damnum faciat animæ suæ? 37 aut quid dabit homo commutacionem pro animæ suæ? 38 Qui autem confusus me fuerit et sermones meos in generacione hac adultera et peccatrice, et filius hominis confundetur illum, cum venerit in gloria patris sui cum sanctis angelis. 39 Et dicebat illis Amen dico vobis quoniam sunt hic quidam de hic stantibus qui non gustabunt mortem donec videant regnum dei venisse in virtute.

IX. 1 Et post dies sex assumpit Iesus Petrum et Iacobum et Iohannem, et duxit illos in montem altissimum secreto solos, et transfiguratus est coram ipsis: 2 et vestimenta eius facta sunt satis fulgencia velut nix, qualia fullo super terram non potest candida facere. 3 Et apparuit cum illo Moyses et Helias fabulantes. 4 Et respondens Petrus ad Iesum ait Rabbi, bonum est nos hic esse, itaque si vis faciamus hic tria tabernacula, tibi unum Moysi unum et Heliæ unum. 5 Non sciens quid loqueretur: timore enim exterriti erant. 6 Et facta est nubes obumbrans eos, et ecce vox de nube dicens Hic est filius meus charissimus, audite illum. 7 Et repente circumspicientes neminem alium viderunt secum nisi solum Iesum. 8 Et descendentibus illis de monte, præcepit eis ne cui dicerent quæ viderunt, nisi cum filius hominis a mortius resurrexerit. 9 Retinuerunt verbum apud se, conquirentes quid esset Cum a mortuis resurrexisset. 10 Et interrogabant eum dicentes Quid utique dicunt Pharisæi et scribæ quia Heliam oportet primum venire? 11 Respondens Iesus dixit illis Helias veniens primum restituet omnia: et quomodo scriptum est in filium hominis ut multa paciatur et contemnatur? 12 Sed dico vobis quia et Helias venit, et fecerunt ei quanta voluerunt, sicut scriptum est de eo. 13 Et cum venisset Iesus ad discipulos suos vidit turbam multam ad eos et scribas conquirentes cum illis. 14 Et confestim omnis multitudo videntes Iesum expaverunt, et gaudentes salutaverunt eum. 15 Et interrogavit illos Quid inter vos conquiritis? 16 Et respondit illi unus de turba dicens Magister, attuli ad te filium meum habentem spiritum immundum mutum, 17 qui ubicunque illum occupaverit ellidit eum, et spumat et stridet dentibus et arescit: et dixi dissipulis tuis ut eiicerent illum, et non potuerunt. 18 Et respondens Iesus dixit illis O generacio incredula, quandiu ero apud vos? quandiu vos sufferam? adducite illum huc ad me. 19 Et adduxerunt eum. Cum autem vidisset illum spiritus, confestim

conturbavit puerum et cadens in terram volutabat spumans.
20 Et interrogavit Iesus patrem eius Quantum temporis est ex
quo hoc factum est illi? Ille autem dixit Ab infancia: 21 nam et
frequenter illum et in ignem et in aquas misit ut eum perderet:
sed si quid potes, auxiliare nobis et miserere nostri. 22 Iesus
autem dixit illi Si potes credere: omnia possibilia sunt credenti.
23 Continuo exclamans pater pueri cum lacrymis dicebat Credo
domine subveni incredulitati meæ. 24 Et cum videret Iesus
turbam concurrentem comminatus est spiritui immundo dicens illi
Mute et surde spiritus, ego tibi præcipio, exi ab illo et ne re-
dieris in illo. 25 Et exclamavit et discipavit eum et exivit de eo et
proiecto illo, et factus est puer velut mortuus, ita ut multi di-
cerent Quia mortuus est. 26 Iesus autem tenens manum eius
elevavit eum, et surrexit. 27 Et cum introisset domum, inter-
rogabant eum discipuli secreto dicentes Quare nos non potuimus
illum eiicere? 38 Quibus ipse dixit Hoc genus in nullo potest
exire nisi in oracione et ieiunio. 29 Et inde egressi ibant per
Galilæam, nec volebat quemquam scire. 30 Docebat autem dis-
cipulos suos, et dicebat illis quoniam filius hominis tradetur in
manus hominum, et occident illum, et post tres dies resurget.
31 Illi autem ignorabant verbum, et timebant interrogare illum.
33 32 Et venerunt Capharnaum. Qui cum in domo esset, interro-
gabat eos dicens Quid in via tractabatis? 33 Illi autem tacebant,
tractaverunt enim ad invicem in via quisnam esset illorum
maior. 34 Et considens vocavit XII et ait illis Si quis
vult primus esse, erit omnium novissimus et omnium minister.
35 Et assumens puerum statuit eum in medio eorum; quem cum
complexus esset, ait illis. 36 Quisquis ex huiusmodi pueris
exceperit in nomine meo, me excipit; et quicunque me excipit
non me excipit sed eum qui me misit. 37 Respondit autem Io-
hannes et dixit illi Magister, vidimus quendam in nomine tuo
eiicientem dæmonia, qui non sequitur nos, et prohibuimus illum.
38 Ait illis Iesus Nolite prohibere eos: nemo est enim qui fa-
ciat virtutem in nomine meo et poterit male loqui de me.
39 Qui enim non est adversus vos, pro vobis est. 40 Quisquis
enim potum dederit ex vobis calicem aquæ in nomine meo, quia
Christi estis, amen dico vobis, non perdet mercedem suam.
41 Et quisquis scandalizaverit unum ex pusillis his credentibus
in me, bonum illi magis si circumdaretur mola asinaria circa col-
lum eius et in mare mitteretur. 42 Et si scandalizat te manus
tua, amputa illam abs te: bonum est tibi debilem introire in vitam,
quam duas manus habentem ire in gehennam ubi est ignis in-
extinguibilis, 43 ubi vermis eorum non morietur et ignis eorum
non extinguetur. 44 Et si pes tuus scandalizat te, amputa illum
a te, bonum enim est tibi claudum introire in vitam æternam,
quam duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inextinguibilis,

45 ubi vermis eorum non morietur et ignis eorum non extinguetur. 46 Quod si oculus tuus scandalizat te, exime eum a te, bonum enim est tibi luscum introire in regnum dei, quam duos oculos habentem introire in gehennam 47 ubi ignis non extinguetur et vermis non morietur. 48 Omnis enim victima salietur. 49 Bonum est sal: quod, si sal infatuatum fuerit, in quo illum condies? Habete in vobis sal, et pacem habete in vobis.

X. 1 Et inde exsurgens Iesus venit in fines Iudææ trans Iordanem, et convenit turba ad eum, et docebat illos iterum sicut consueverat. 2 Et accedentes quidam Pharisæi temptantes interrogabant eum dicentes Si licet homini dimittere uxorem suam. 3 Respondens autem Iesus dixit illis Quid vobis præcepit Moyses? 4 Dixerunt Permisit nobis libellum repudii dare scriptum et dimittere. 5 Ipse vero dixit ad illos Ad duriciam cordis vestri scripsit Moyses præceptum hoc; 6 ab inicio autem creaturæ masculum et feminam fecit eos et dixit: 7 Propter hoc relinquet homo patrem suum et matrem suam et adiungetur uxori suæ, 8 et erunt duo in carne una. Itaque iam non sunt duo sed una caro. 9 Quod ergo deus iunxit, homo non disiungat. 10 Et interrogaverunt eum disciputi secreto de hoc sermone. 11 Et dixit illis Quisquis dimiserit uxorem suam et aliam ducit, adulterium committit super eam: 12 et mulier si reliquerit virum et alii nupserit, moechatur super illum. 13 Et offerebant illi pueros ut tangeret eos; discipuli autem eius comminabantur eis. 14 Quos cum videret Iesus, indigne tulit et ait illis Sinite pueros venire ad me, et nolite prohibere illos talium est enim regnum dei. 15 Amen dico vobis, qui non susceperit regnum dei sicut infans non introibit in illud. 16 Et convocans infantes ad se imponebat manus super illos et benedicebat eos. 17 Et cum egressi esset; ecce quidam adgeniculans dicebat Magister bone, quid faciam ut vitam æternam accipiam? 18 Cui Iesus dixit Quid me dicis bonum? nemo bonus nisi solus deus. 19 Custodi præcepta. Ille dixit Quæ? Et dixit illi Iesus, Non occides, non adulterabis, non fornicaberis, non falsum testimonium dices, non abnegabis, honora patrem tuum et matrem tuam. 20 At ille respondens ait Magister, hæc omnia custodivi a iuventute mea. Quid adhuc mihi deest. 21 Iesus autem intuitus eum dilexit et dixit illi Unum tibi deest: vade, et vende quæcunque habens et da pauperibus, et habebis thesaurum in cælo, et veni sequere me. 22 Ille autem contristatus est in hoc verbo et recessit tristis: erat enim habens multas possessiones. 23 Et circumspiciens Iesus ait discipulis suis Quam difficile est his qui pecunias habent introire in regnum dei. 24 Discipuli autem eius pavebant in verbis istis. Iesus vero respondens illis iterum dixit, quam difficile est divitem in regnum dei introire. 25 Facilius est camelum per foramen acus transire quam divitem intrare in regnum dei.

Qui magis admirabantur inter se dicentes Et quis potest salvus
fieri? 27 Et intuens illos Iesus ait Hoc apud homines inpossi-
bile est, apud deum autem omnia possibilia sunt. 28 Et coepit
Petrus dicere Ecce nos dimisimus omnia et secuti sumus te. 29 Re-
spondens autem Iesus dixit ad illos Amen dico vobis, nemo est qui
missum fecerit domum vel fratres aut sorores aut matrem aut patrem
aut filios aut agros propter me et evangelium, 30 qui non acci-
piat centies tantum nunc in hoc seculo, in futuro autem seculo vi-
tam æternam accipiet. 31 Multi autem erunt primi novissimi,
et novissimi primi. 32 Erant autem ascendentes in viam in
Ierosolimis, et præcedebat illos Iesus, et pavebant qui seque-
bantur eum. Et assumens illos duodecim coepit illis iterum
dicere quæ sibi ventura essent, 33 Quia ecce ascendimus Iero-
solimam, et filius hominis tradetur principibus sacerdotum et scri-
bis, et senioribus et damnabunt illum morti et tradent gentibus,
34 et illudent eum et conspuetur et flagellabunt eum et occident,
et post tercium diem resurget. 35 Et accesserunt ad eum Iacobus
et Iohannes filii Zebedæi dicentes Magister, volumus ut quod-
cunque petierimus facias nobis. 36 Quibus ipse dixit Quid vultis
ut faciam vobis? 37 Illi autem dixerunt ei Da nobis ut unus
a dextris tuis et alius a sinistris sedeamus in gloriam tuam.
38 Dixit illis Iesus Nescitis quid petatis: potestis bibere cali-
cem quem ego bibiturus sum? aut baptismum baptizari quem ego
baptizari habeo? 39 At illi dixerunt ei Possumus. Ait illis
Iesus Calicem quidem quem ego bibo bibetis, et baptismum quem
ego babtizor baptizabimini: 40 sedere autem a dextris meis vel a
sinistris, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est. 41 Hoc
audito cæteri decem coeperunt indigne ferre de Iacobo et Io-
hanne. 42 Quos cum advocasset Iesus ait illis Scitis quia qui vi-
dentur principari gentibus dominantur eorum, et maiores illo-
rum potestatem habent eorum: 43 in vobis autem non ita est,
sed quicunque voluerit in vobis esse maior erit vester minister,
44 et quicunque voluerit in vobis esse primus erit omnium ser-
vus. 45 Sicut filius hominis non venit ut ministrari, sed mini-
strare sed dare animam suam redempcionem pro multis. 46 Et
venerunt in Iericho: et factum est cum exisset ab Iericho cum
multa turba, et ecce quidam cæcus filius Timæi Barthimæus se-
debat circa viam mendicans. 47 Qui cum audisset quod Iesus Naza-
renus esset, qui transiebat, coepit clamare et dicere Miserere mei
Iesu fili David. 48 Et comminabantur illi ut taceret. Ille magis
magisque clamabat Miserere mei fili David. 49 Respiciens
vero Iesus iussit illum vocari. Et abierunt vocare illum dicen-
tes Animæquior esto, surge, vocat te. 50 Ille vero ut audivit proiecit
vestimenta sua et exiliens venit ad eum. 51 cui dixit Iesus Quid vis
ut faciam tibi? Cæcus autem dixit Rabboni, ut videam. 52 Iesus

vero dixit ei Vade, fides tua te salvum fecit. Et confestim vidit,
et sequebatur eum in via.

XI. 1 Cum autem appropinquaret Ierosolimam et Betha-
niam ad montem oliveti, misit duos ex discipulis suis 2 et
ait illis Ite in castellum quod contra vos est, et introeuntes sta-
tim invenietis pullum asinæ alligatum novellum, super quem nemo
sedit: solvite illum et adducite. 3 Et si quis vobis dixerit Quid
facitis? dicite Dominus opera eius desiderat, et continuo remittit
illum. 4 Et abierunt illi duo invenerunt ad ostium foris secus
transitus pullum ligatum, et cum vellent illum solvere 5 quidam
de circumstantibus dixerunt eis Ubi ducitis eum? 6 Qui dixerunt
secundum verba quæ dixerat illis Iesus, at illi remiserunt eos.
7 Et adduxerunt pullum ad Iesum: et imposuerunt vestimenta
sua super eum et sedit supra Iesus. 8 Multi autem vestimenta
sua sternebant in via, alii vero ramos cædebant de arboribus et
sternebant in itinere. 9 Et qui præibant et qui sequebantur cla-
mabant Osanna in exelsis, 10 benedictus qui venit in nomine
domini, benedictum quod venit regnum patris nostri David,
osanna in excelsis. 11 Et cum introisset Iesus Ierosolimam
in sanctam civitatem circumspexit omnia, et cum iam vespera
hora esset, exiit in Bethania cum XII discipulis suis.
12 Et alia die cum exisset a Bethania, esuriit Iesus, 13 et cum
vidisset arborem ficus a longe habentem folia, venit videre si
quid esset in eam, et nichil invenit in ea nisi folia tantum: non
enim erat tempus ficus. 14 Et ait ad arborem Iam non amplius
quisquam fructum ex te manducet. Et audiebant discipuli eius.
15 Et venerunt in Ierosolimam. Et cum introisset in templum, ever-
tit mensas numulariorum et coepit eiicere vendentes es ementes
et cathedras vendencium columbas, 16 non sinebat quemquam
vas tranferre per templum, 17 et ait illis dicens Scriptum est Domus
mea domus oracionis vocabitur omnibus gentibus. Vos autem
fecistis illam speluncam latronum. 18 Quo audito summi sacerdo-
tes et scribæ quærebant quomodo illum perderent: timebant au-
tem quoniam universa turba admirabantur super doctrinam eius.
19 Et cum vespera facta esset, egrediebantur de civitate. 20 Et
cum transirent, viderunt arborem fici aridam factam a radicibus. 21 Et
recordatus Petrus ait illi Rabbi, ecce arbor fici cui maledixisti aruit.
22 Et respondens Iesus ait illis Habete fiduciam: 23 amen dico
vobis quoniam si habueritis fidem sicut granum sinapis dicetis
huic monti Tolle et mitte te in mare, et non hæsitaveritis corde
sed credideritis futurum fiet quodcumque dixeritis. 24 Propterea
dico vobis, omnia quæcunque oratis et petitis, credite quoniam
accipietis, et erit vobis. 25 Et cum statis ad oracionem remittite
si quid habetis adversus aliquem, ut et pater vester qui in cælis
est remittat vobis delicta vestra. 26 Quod si vos non remiseritis,
nec pater vester qui in cælis est remittet vobis peccata vestra.

27 Et venit iterum Ierosolimam. Et cum deambulabat in templo,
venerunt ad illum principes sacerdotum et scribæ et seniores
28 et dixerunt ei In qua potestate hæc facis? et quis tibi dedit
hanc potestatem ut ista facias? 29 Iesus vero respondit eis di-
cens Interrogabo vos et ego unum sermonem, respondete mihi,
et ego vobis dicam in qua potestate hæc faciam. 30 Baptismum
Iohannis de cælo fuit an ex hominibus? respondete mihi. 31 Illi
vero cogitare coeperunt quid ei dicerent Si dixerimus De cælo,
dicet nobis Quare non credidistis ei? 32 si autem dicimus Ex
hominibus, timemus populum: omnes enim sciebant Iohannem
prophetam fuisse. 33 Et respondentes dixerunt ad Iesum Nesci-
mus. Ait illis et Iesus Nec ego vobis dico in qua potestate
hæc facio.

XII. 1 Et coepit Iesus in parabolis loqui dicens Homo qui-
dam plantavit vineam, et circumdedit sepem et fodit lacum et
ædificavit turrem, et locavit eam colonis, et peregre profectus
est. 2 Et misit in tempore servum ad colonos ut darent illi ex
vinea fructum: 3 quem illi apprehendentes ceciderunt et dimise-
runt vacuum. 4 Iterum misit ad illos alterum servum: multave-
runt et contumeliis afflixerunt. 5 Et alium misit: et ipsum ceci-
derunt, et alios plures ex eis: quosdam ceciderunt quosdam
vero occiderunt. 6 Novissime autem filium suum misit, quem ha-
bebat unicum dilectissimum dicens Reverebuntur filium meum.
7 Coloni autem illi cum vidissent eum dixerunt ad alterutrum
Hic est heres venite occidamus eum, et nostra erit heredi-
tas. 8 Et apprehensum occiderunt et eiecerunt illum extra vine-
am. 9 Quid ergo faciet dominus vineæ? Veniet et perdet co-
lonos illos et dabit vineam aliis colonis. 10 Nec scripturam istam
legistis Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est
in caput anguli: 11 a domino factum est hic et est mirabilis in
oculis nostris? 12 Et quærebant eum tenere, et timuerunt tur-
bam: cognoverunt enim quoniam ad ipsos dixerat parabolam. Et
relicto eo abierunt. 13 Et miserunt quosdam ex Pharisæis et ex
Herodianis ut eum tenerent in verbo. 14 Et venientes Pharisæi
interrogabant eum dicentes Magister, scimus quia verax es et
non curas quemquam: nec enim aspicis hominum personas sed
in veritate viam dei doces: dic ergo nobis si licet tributum dari
cæcari, aut non? 15 Iesus vero videns simulacionem illorum ait
illis Quid me temptatis? afferte mihi denarium ut videam. 16 At
illi attulerunt denarium. Et ait illis Cuius est imago et super-
scripcio? Illi vero dixerunt Cæsaris. 17 Ait illis et Iesus
Reddite ergo quæ cæsaris sunt cæsari, et quæ dei sunt deo.
Et admirabantur in illo. 18 Et ecce Sadducæi venerunt ad illum,
qui dicunt resurreccionem non esse, et interrogaverunt eum di-
centes 19 Magister, Moyses scripsit nobis ut si cuius frater de-
functus fuerit et habuerit uxorem et filium non reliquerit, accipiat

frater eius uxorem ipsius et suscitet semen fratri suo. 20 Se-
ptem igitur fratres fuerunt apud nos: et primus accepit uxorem
et obiit non relicto semine: 21 et secundus accepit eam ad sus-
citandum semen fratris sui, et ipse obiit non relicto semine: et
tercius similiter. 22 Deinde omnes septem et non reliquerunt semen:
et mulier relicta est sine filiis. 23 Cui enim manebit uxor mun-
da? septem enim illam habuerunt et ipsa mortua est; in resurre-
ctione autem, cuius erit? 24 Ad quos Iesus respondens
dixit Erratis non intelligentes scripturas neque virtutem dei?
25 Cum enim a mortuis resurrexerint, neque nubent neque nu-
bentur sed sunt sicut angeli in cælis. 26 De mortuis autem,
quod resurgant, non legistis in libro Moysi in rubo quomodo
dicit illi dominus inquiens Ego sum deus Abraham et deus Ysahac
et deus Iacob? 27 Non est deus mortuorum sed vivorum. Vos
vero multum erratis. 28 Et accedens unus de scribis, qui au-
dierant illos conquirentes, videns quod bene illis respondit, inter-
rogavit illum dicens Magister quod est præceptum primum.
29 Respondit illi Iesus dicens Primum mandatum est Audi Israel,
dominus deus tuus, dominus unus est, 30 et diliges dominum
deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua et et ex tota
virtute tua. Hoc est primum mandatum. 31 Et secundum mandatum
simile est huic Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Maius
his præceptis alium non est. 32 Et ait illi scriba Bene dixisti
magister in veritate, unus est enim deus et non est alius præter eum:
33 et diligere eum ex toto corde et ex tota anima et ex tota
virtute et diligere proximum tanquam se ipsum maius est omni-
bus holocaustomatibus et sacrificiis. 23 Et videns Iesus
quia sapienter respondit, ait illi Non es longe a regno dei. Et
nemo amplius audebat interrogare eum. 35 Et respondens Iesus
docens in templo ait Quomodo dicunt scribæ quia Christus filius
est David? 36 Ipse autem David dicit in spiritu sancto Dixit
dominus domino meo Sede a dextris meis, donec ponam inimicos
tuos sub scabellum pedum tuorum. 37 Si David appellat illum
dominum suum, unde est filius eius? Multa turba audiebant
illum libenter. 38 Ipse autem docebat illos dicens Videte ab scri-
bis qui ambulant in stolis et volunt salutari in foro 39 et primis
cathedris sedere in synagogis et primos accubitus habere in cænis:
40 qui devorant domos viduarum et orphanorum oracione prolixa
orantes, et hæc in oracione faciunt; hi accipiunt prolixiorem dam-
nacionem. 41 Et sedens Iesus contra gazophylacium vidit quanta
turba mittebant in gazophylacio, et divites quanta mittebant:
42 cum venisset autem quædam vidua, misit æra duo quod est
quadrans. 43 Et convocans discipulos suos ait illis Amen dico
vobis quoniam vidua hæc pauper plus omnibus misit in gazo-
phylacium: 44 Unusquisque enim ex eo quod abundavit illi

misit, hæc vero de penuria sua omnem victum suum quem habuit misit.

XIII. 1 Et cum egrederetur de templo, ait illi unus ex
discipulis suis Magister, ecce quales lapides et qualia ædificia
templi. 2 Ad quem respondens Iesus ait Nonne vidistis hæc
omnia magna ædificia? amen dico vobis quod non relinquetur in
isto templo lapis super lapidem qui non destruatur et in triduo
resuscitabo illud sine manibus. 3 Et factum est cum sederet in
montem oliveti contra templum, interrogaverunt eum Petrus et
Iacobus et Iohannes et Andreas dicentes. 4 Dic nobis, quando
ista fient, et quod signum erit quando omnia incipient hæc consummari?
5 Respondens Iesus coepit dicere ad illos Videte ne
quis vos seducat: 6 multi enim venient in nomine meo dicentes,
Ego sum Christus et multos seducent. 7 Cum autem audieritis
bella et opiniones bellorum, nolite timere: oportet enim fieri;
sed nondum finis est. 8 Exsurget enim gens contra gentem et
regnum super regnum, et erunt terræ motus per singula loca et
fames. 9 Videte autem vosmet ipsos: tradent enim vos in conciliis,
et in synagogis vapulabitis, et ante præsides et reges stabitis
propter me, in testimonium illis. 10 Et gentibus primum autem
oportet hoc evangelium prædicare. 11 Et cum perduxerint
vos tradentes, nolite præcogitare quid loquamini; sed quod datum
vobis fuerit in illa hora, ipsum loquimini: non enim vos estis
qui loquimini sed spiritus sanctus. 12 Et tradet frater fratrem
in mortem et pater filium, et insurgent filii in parentes et morte
illos afficient, 13 et eritis odio omnibus hominibus propter nomen
meum: qui autem toleraverit usque ad finem, hic salvus erit.
14 Cum autem videritis abhominacionem desolacionis quod dictum
est per danielem prophetam stare ubi non oportet, qui legit intelligat,
tunc qui in Iudæa sunt fugiant in montibus, 15 qui
in superioribus non descendat ut tollat quicquam de domo sua,
16 et qui in agro erit non revertatur retro tollere vestimentum
suum. 17 Væ autem prægnantibus et nutrientibus in illis diebus.
18 Orate ergo ut non hieme fiant. 19 Erunt enim dies illi tribulaciones
et pressuræ quales non fuerunt ab inicio creaturæ
usque modo neque erunt post hoc. 20 Et nisi breviasset deus
dies illos, non esset salva omnis caro: sed propter electos quos elegit
breviavit dies. 21 Tunc si quis vobis dixerit Ecce hic Christus,
vel ecce illic, nolite credere. 22 Exsurgent enim pseudochristi et
pseudoprophetæ, et dabunt signa et prodigia ad seducendum, si
fieri potest, etiam electos. 23 Ecce prædixi vobis omnia. 24 Sed
in illis diebus post tribulacionem illam sol obscurabitur, et luna
non dabit lumen suum, 25 et stellæ quæ sunt in cæli erunt cadentes
et virtutes cælorum movebuntur. 26 Et tunc videbunt
filium hominis venientem in nubibus cum virtute multa et gloria.
27 Et tunc mittet angelos suos et congregabit electos suos a

quatuor ventis, a ultimo terræ usque ad summum cælorum.
28 A fici autem arbore discite parabolam. Cum iam ramus eius
tener factus fuerit et prodeunt folia, cognoscitis quod in proxi-
mo sit æstas: 29 sic et vos cum videritis hæc omnia fieri,
scitote quoniam in proximo est in ianuis. 30 Amen dico vobis
quoniam non transiet generacio ista donec fiant omnia. 31 Cæ-
lum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt. 32 De
die autem illa vel hora nemo scit, neque angeli in cælo neque filius,
nisi solus pater. 33 Videte itaque et vigilate: quia nescitis tem-
pus. Sicut enim homo profectus peregre linquit domum suam et dans
servis suis potestatem unicuique operis sui faciundi, et iani-
tori præcepit ut vigilet. 35 Sic ergo vigilate, nescitis enim quando
veniat dominus domus, sero an media nocte an galli cantu an
mane, 36 ne cum venerit derepente, inveniat vos dormientes,
ecce dixi vobis. 37 Quod autem vobis dico, omnibus dico.

XIV. 1 Erat autem futurum pascha et azyma post biduum,
et quærebant summi sacerdotes et scribæ quomodo eum tenerent
dolo et occiderent eum. 2 Dicebant enim Ne cum venerit
turba in diem festum, tumultus oriatur in populum. 3 Et cum
esset Bethania Iesus in domum Simonis leprosi discumbente illo
venit mulier habens ampullam unguenti nardi spicati preciosi, et
confringens fudit super caput eius. 4 Quo viso quidam indigne
tulerunt dicentes Ut quid hæc perdicio gratuita facta est?
5 Hoc enim poterat venundari denariis trecentis et dari paupe-
ribus. Et fremebant in eam. 6 Iesus vero ait illis Sinite illam:
ut quid molesti estis? bonum enim opus operata est in me.
7 Semper enim pauperes habetis vobiscum, et cum vultis potestis
illis benefacere, me autem non semper habebitis. 8 Cæterum quod
habuit hæc, fecit, præoccupans ungvento ungere corpus meum in
sepulturam. 9 Amen dico vobis, quoniam ubicunque prædicatum
fuerit hoc evangelium in totum orbem dicetur et quod hæc fecit
narrabitur in memoriam eius. 10 Et Iudas Scariotha, unus de
XII, abiit ad principes sacerdotum ut proderet eum. 11 At
illi gavisi sunt, et pecuniam promiserunt se daturos ei: et quære-
bat quomodo illum oportune traderet. 12 Factum est autem cum
advenisset prima dies azymorum, quando pascha immolabant,
dicunt ei discipuli Quo vis eamus et paremus tibi ut manduces
pascha? 13 Et misit duos ex discipulis suis et ait illis Ite in
civitatem: et ocurret vobis homo portans lagenam aquæ, sequi-
mini eum, 14 et quocunque introierit dicite domino domus Ma-
gister noster dicit Ubi est refeccio ubi pascha cum discipulis
meis manducem? 15 Et ipse vobis demonstrabit cænaculum stra-
tum paratum, illic parabitis nobis. 16 Et abierunt discipuli eius
et venerunt in civitatem, et fecerunt sicut dixerat illis, et para-
verunt pascha. 17 Vespere autem facto venit Iesus cum XII
18 Et discumbentibus illis et manducantibus dixit Amen

dico vobis quod unus ex vobis tradet me, qui manducat mecum.
19 Illi autem coeperunt contristari et dicere Nunquid ego? aut
alius? hoc singuli coeperunt dicere. 20 Quibus ipse ait Unus
de XII, qui intingit manum in voletario ipse me tradet.
21 Et filius quidem hominis tradetur sicut scriptum est de illo
væ autem homini illi per quem filius hominis tradetur: bonum
illi si non esset natus homo ille. 32 Et manducantibus illis acce-
pit Iesus panem et benedicens fregit et dedit illis, et dixit Acci-
pite, hoc est enim corpus meum. 23 Et accepto calice benedixit
et dedit eis, et biberunt ex eo omnes. 24 Et ait illis Hic est
sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur. 25 Amen
dico vobis non bibam de generacione vitis huius usque in diem
illum cum novum ex illo bibam in regno dei. 26 Et ymno
dicto exierunt in montem oliveti. 27 Tunc ait illis Iesus Omnes
vos scandalum patiemini in me in nocte ista, quia scriptum est
Percuciam pastorem, et dispergentur oves gregis. 28 Sed postquam
resurrexero, præcedam vos in Galilæam. 29 Petrus vero respondit
illi et dixit Etsi omnes scandalizati fuerint, sed ego non. 20 Cui
Iesus dixit Amen dico tibi quod tu hodie in nocte hac, prius
quam gallus cantet, ter me negabis. 31 At ille amplius loqueba-
tur multa dicens Videbitis quod si oportuerit me commori simul
tecum, non te negabo. Similiter etiam omnes dicebant. 32 Et
venerunt in prædium cui nomen erat Gessamani, et ait discipulis
suis Sedete hic donec orem. 33 Et assumit Petrum et Iacobum et
Iohannem secum, et coepit paveri et tædiari. 34 Et ait illis
Tristis est anima mea usque ad mortem: sustinete hic et vigilate.
35 Et cum præcessisset pusillum, procidit in faciem, et orabat
ut si fieri potest pertransiret illa hora, 36 dicens Abba pater,
omnia tibi licent, transfer a me hunc calicem: sed non sicut ego
volo sed sicut tu vis pater. 37 Et venit ad discipulos suos et invenit
eos dormientes, et ait Petro, Simon, dormis? non valuisti una hora
vigilare? 38 Surgite et orate ut transeat a vobis temptacio: spiri-
tus quidem promptus est, caro autem infirma. 39 Et iterum abiit
orare. 40 Et veniens invenit illos dormientes: erant enim oculi
eorum gravati, et ignorabant quid responderent ei. 41 Et venit
tercio et dixit illis Dormite iam et requiescite adest enim con-
summacio et hora: ecce tradetur filius hominis in manibus pecca-
torum. 42 Et nunc surgite, eamus: iam enim proximat traditor
meus. 43 Adhuc eo loquente venit Iudas Scariotha unus de
XII, et cum illo turba multa cum gladiis et fustibus a sum-
mis sacerdotibus et senioribus et scribis missi. 44 Dedit autem
signum qui tradidit eum dicens Quem osculatus fuero, ipse est:
tenete eum et ducite diligenter. 45 Et cum accessisset, ait illi
Aue rabbi, et osculatus est illum. 46 Illi vero qui acceperant
signum iniecerunt manus in illum et tenuerunt eum. 47 Et unus
de circumstantibus exemit gladium suum et percussit servum

principis sacerdotum et amputavit auriculam eius. 48 Et respon-
dens ait illis Iesus Tamquam ad latronem existis cum gladiis et
fustibus comprehendere me: 49 cotidie eram apud vos in tem-
plo docens, et non tenuistis me. Sed ut compleantur scripturæ.
50 Tunc discipuli eius relinquentes eum omnes fugerunt. 51
Adolescens autem quidam sequebantur eum a longe amictus sin-
donem, et tenuerunt eum: 52 at ille relicta sindone fugit nu-
dus. 53 Et adduxerunt Iesum ad principem sacerdotum, et
convenerunt omnes principes sacerdotum et scribæ et seniores.
54 Petrus autem a longe sequebatur donec venit in atrium sum-
mi sacerdotis, sedens cum ministris calefaciebat se ad ignem.
55 Principes autem sacerdotum omne concilium quærebant
adversus Iesum testimonium ut morti eum damnarent et non
inveniebant: 56 multi autem testimonium falsum dicebant adver-
sus eum, nec erant conveniencia testimonia. 57 Alii autem ex-
surgentes falsi testes dicebant adversus eum. 58 Hic dixit Ego
destruam templum hoc manu factum, et post triduum suscitabo
illud non manu factum. 59 Et non erat æquale testimonium illo-
rum. 60 Tunc exsurgens princeps sacerdotum in medio coepit
interrogare Iesum dicens quare nichil respondes quicquam adver-
sus accusaciones eorum? 61 Ille autem tacebat et nichil respon-
dit. Ad quem iterum ait Tu es Christus, filius benedicti?
62 Iesus vero ait illi Ego sum: et videbitis filium hominis seden-
tem ad dexteram virtutis et venientem cum nubibus cæli. 63
Ad hæc summus sacerdos scidit vestimenta sua et ait Quid am-
plius quæritis operam testium? 64 Audistis blasphemiam: quid
vobis videtur? Omnes autem iudicaverunt eum esse reum mortis.
65 Et coeperunt quidam irridere eum et conspuerunt in illum
et velantes faciem eius colaphizabant eum et dicebant ei ministri
Prophetiza nobis: et alapis eum cædebant. 66 Petrus autem cum
esset in atrium, venit ad illum una ex ancillis summi sacerdotis,
cum vidisset illum calefacientem se, aspiciens ait illi Et tu cum
Iesu Nazareno eras. 68 At ille negavit dicens Neque scio neque
novi quid dicis. Et exiit foris ante atrium, 69 Rursum autem
cum vidisset illum altera ancilla coepit dicens astantibus Quia et
hic ex illis est. 70 Et ille iterum negavit. Et post pusillum
iterum qui astabant dixerunt Petro Vere ex ipsis es: nam et
Galilæus es. 71 Ille autem coepit devotare se et iurare quia
nescio hominem istum quem dicis. 72 Et continuo gallus can-
tavit: Tunc rememoratus est Petrus verbum quod dixit illi
Iesus Priusquam gallus cantet, ter me negabis: et coepit flere.

XV. 1 Cum autem mane factum esset consilium fecerunt
summi sacerdotes cum senioribus et scribis et universo concilio
et vinctum Iesum duxerunt in atrium et tradiderunt Pilato. 2 Et
interrogavit eum Pilatus dicens Tu es rex Iudæorum? Ille vero

ait Tu dicis. 3. Et accusabant eum summi sacerdotes multa.
Ipse autem nichil respondebat. 4 Iterum Pilatus interrogavit eum
dicens Non respondes eis quicquam? ecce quanta te accusant.
5 Iesus autem nichil amplius respondit, ita ut Pilatus miraretur.
6 Per diem autem solemnem dimittere solebat eis unum vinctum
quemcunque petissent. 7 Erat autem in carcerem qui dicebatur
Barabbas, qui cum sediciosis reclusus, qui in sedicione fecerat
homicidium. 8 Et cum ascendisset turba, rogabant Pilatum ut sicut consueverat per diem festum dimitteret illis unum vinctum.
9 Pilatus autem respondit illis dicens Vultis remittam vobis regem Iudæorum? 10 Sciebat enim quod per invidiam tradiderunt
eum principes sacerdotum. 11 Scribæ autem persuaserunt turbis
ut dicerent: Magis Barabbam dimitte nobis. 12 Pilatus autem
iterum respondit eis dicens Quid ergo vultis ut faciam regi Iudæorum? 13 Illi vero clamaverunt dicentes Cruci eum affige.
14 Pilatus autem dicebat illis Quid enim mali fecit? At illi
magis clamabant dicens Crucifige eum. 15 Tunc Pilatus volens
populo satisfacere dimisit illis Barabban, et tradidit illis Iesum
flagellis cæsum ut crucifigeretur. 16 Milites ergo acceptum Iesum duxerunt eum in atrium prætorii, et convocaverunt cohortem, 17 et vestierunt eum purpuram et imposuerunt illi factam
spineam coronam, 18 et salutabant eum dicentes Ave rex Iudæorum: 19 et percuciebant illum de harundine in caput et conspuebant ei, et ponentes genua adorabant eum. 20 Et postquam
illuserunt ei, exuerunt illum purpuram et induerunt illum vestimenta sua et duxerunt ut crucifigerent eum. 21 Et apprehenderunt quemdam Cyrenæum transeuntem, cui nomen erat
Simon, qui veniebat de villa sua, erat autem pater Rufi et
Alexandri, et fecerunt illum portare crucem eius. 22 Et
duxerunt in Golgotha quod interpretatur calvariæ locus. 23 Et
dederunt ei bibere mirratum vinum, et non accepit. 24 Et crucifixerunt eum et diviserunt vestimenta eius, mittentes sortem, quis
quid tolleret. 25 Erat autem hora tercia et crucifixerunt eum.
26 Et erat inscripcio causæ eius Iesus rex Iudæorum. 27 Et
crucifixerunt cum eo duos latrones, unum a dextris nomine
Zoathan et alium a sinistris nomine Chammatha. 28 Et adimpleta est scriptura quæ dicit Et cum iniquis deputatus est.
29 Prætereuntes autem blasphemabant eum, moventes capita sua
et dicentes Vah qui destrues templum et reedificas illud tribus
diebus: 30 salvum te fac et descende de cruce. 31 Et scribæ
cum principibus sacerdotum irridentes eum dicebant Alios salvos
fecit, te ipsum salvum fac, 32 si Christus es rex Israel: descendat nunc de cruce, et credimus ei. Et qui simul cum eo
crucifixi erant conviciabantur ei. 33 Et cum hora esset sexta
tenebræ factæ sunt super totam terram usque ad horam nonam.
34 Et nona hora exclamavit Iesus voce magna dicens Heli heli

lema sabacthani, quod est interpretatum hoc est Deus meus deus
meus, ut quid exprobrasti me? 35 Et quidam de circumstantibus
audiebant eam et dicebant Heliam vocat iste. 36 Et accurrens
unus implens spongiam aceto imposuit harundini et potum dabat
ei dicens, Sinite videamus si veniat Helias deponere eum. 37 Ie-
sus autem emittens vocem magnam emisit spiritum. 38 Et velum
templi scissum est in duas partes a summo usque deorsum.
Cum autem videret centurio qui stabat contra eum quod sic
clamans emisisset spiritum dixit Vere hic homo filius erat dei.
40 Erant autem multæ mulieres a longe audientes, inter quas
erat Maria Magdalene, et Maria Iacobi minoris et Ioseph et ma-
ter Salome, 41 Quæ cum essent in Galilæa sequebantur eum et
ministrabant ei, et aliæ multæ quæ simul cum ipso ascenderant
Ierosolimis. 42 Et cum sero esset factum quod est parasceve sab-
bati, 44 venit Ioseph ab Arimathia dives decurio, qui erat et ipse
expectans regnum dei, hic constanter introiit ad Pilatum et petiit
corpus Iesu. 44 Pilatus autem mirabatur si iam obisset Iesus et vocans
centurionem interrogabat eum si iam mortuus esset. 45 Qui cum
cognovisset a centurione, donavit corpus Ioseph. 46 Ioseph autem
emens sindonem deposuit eum et involvit in ea corpus Iesu
et posuit eum in monumento quod erat excisum in petra, et
advolvit lapidem ad ostium monumenti. 47 Maria autem Magda-
lene et Maria Iacobi et Ioseph notaverunt sibi locum ubi po-
neretur.

XVI. 1 Et cum præterisset sabbatum, abeuntes Maria
Magdalene et Maria Iacobi attulerunt aromata, ut eum ungerent.
2 Et venientes una sabbati ad monumentum, oriente sole, 3 di-
cebant ad invicem Quis nobis revolvet lapidem ab ostio monu-
menti. Erat enim magnus valde. 4 Et veniunt et inveniunt re-
volutum lapidem. 5 Et ingressæ in monumentum viderunt
iuvenem sedentem in dextris, coopertum stola candida, et expa-
verunt. 6 Et dixit eis Nolite expavescere: Iesum Nazarenum
quæritis crucifixum: surrexit, videte locum eius ubi positus erat.
7 Sed ite dicite discipulis eius et Petro quia præcedit vos in
Galilæam: ubi eum videbitis, sicut dixit vobis. 8 At illæ exeun-
tes fugerunt de monumento: invaserat enim illas timor et pavor,
et nemini quicquam dicebant: timebant enim. 9 Surgens autem
Iesus mane prima sabbati apparuit primum Mariæ Magdalenæ,
de qua eiecerat septem dæmonia. 10 Illa autem præcurrens nun-
ciavit eis qui cum ipso erant, lugentibus et flentibus eis.
11 At illi audito quod viveret et visus esset ab ea, non credi-
derunt. 12 Post hæc apparuit duobus ex eis ambulantibus in
alia effigie, euntibus in villam. 13 Et illi euntes nunciaverunt
cæteris: nec ipsis crediderunt. 14 Novissime autem recumbentibus
illis undecim apparuit, et exprobravit incredulitatem ipsorum et
duriciam cordis eorum, quoniam eis qui viderant illum re-

surrexisse non crediderant. 15 Et dicit illis Ite in universum
orbem et prædicate evangelium universæ creaturæ. 16 Qui autem
crediderit et baptizatus fuerit salvus erit, qui vero non crediderit
damnabitur. 17 Signa autem credentes hæc sequentur: in
nomine meo dæmonia eiicient, linguis loquentur novis, 18 serpen-
tes tollent, et si mortiferum quid biberint non nocebit illos; super
languentes manus inponent et bene se habebunt. 19 Et dominus
quidem Iesus postquam locutus est illis, assumptus est in cælis
et sedet ad dexteram dei. 20 Illi autem profecti prædicaverunt
ubique, domino adiuvante et sermonem confirmante prosequentibus
signis. Amen.

EVANGELIUM SECUNDUM LUCAM.

I. 1 Quoniam quidem multi conati sunt ordinare rerum
narracionem quæ in nobis completæ sunt, 2 sicut tradiderunt nobis
qui ab inicio ipsi viderunt et ministri fuerunt sermonibus, 3 visum
est et mihi assecuto a principio omnia diligenter ex ordine tibi
scribere, optime Theophile, 3 ut cognoscas eorum verborum de
quibus eruditus es veritatem. 5 Fuit in diebus Herodis regis Iu-
dææ sacerdos quidam nomine Zacharias de vice Abia, et uxor
illi de filiabus Aaron, et nomen eius Elisabeth. 6 Erant autem
iusti ambo ante deum, incedentes in omnibus mandatis et iusti-
ficacionibus domini sine querela. 7 Et non erat illis filius, eo
quod esset Elisabeth sterilis et ambo progressi erant in diebus
suis. 8 Factum est autem, cum sacerdocio fungeretur Zacharias
ex ordine vicis suæ ante dominum deum, 9 secundum consuetu-
dinem sacerdotii forte exiit ut incensum poneret ei ingressus in
templum domini, 10 et omnis multitudo foris orabat hora in-
censi. 11 Apparuit autem illi angelus domini stans a dextris
altaris incensi. 12 Et videns Zacharias turbatus est, et ti-
mor cecidit super illum. 13 Et ait ad illum angelus do-
mini dicens Ne timeas, Zacharia, quoniam ecce obsecracio
tua exaudita est, et uxor tua Elisabeth pariet tibi filium, et vo-
cabit nomen eius Iohannes, 14 et erit gaudium tibi et exultacio,
et multi in nativitate eius gaudebunt: 15 erit enim magnus co-
ram domino, et vinum et siceram non bibet, et spiritu sancto
replebitur adhuc in utero matris suæ, 16 et multos filiorum Is-
rael convertet ad dominum deum ipsorum: 17 et ipse præcedet
ante illum in spiritu et virtute Heliæ, ut convertat corda patrum

5 — Cod. Colb.

in filios et incredibiles ad prudenciam iustorum, parare domino
plebem perfectam. 18 Et dixit Zacharias ad angelum Unde hoc
sciam? ego enim sum senex, et uxor mea processit in diebus
suis. 19 Et respondens angelus dixit ei Ego sum Gabriel qui
asto ante dominum, et missus sum ad te loqui et hæc tibi evan-
gelizare. 20 Et ecce eris tacens et non poteris loqui usque in
diem quo hæc fiant, propter hoc quod non credidisti verbis meis,
quæ implebuntur in tempore suo. 21 Et erat plebs expectans
Zachariam, et mirabantur quod tardaret ipse in templo. 22 Egres-
sus autem non poterat loqui ad illos, et cognoverunt quod visum
vidisset in templo: et ipse erat annuens illis et permansit mutus.
23 Et factum est ut impleti sunt dies officii eius, abiit in do-
mum suam. 24 Post hos autem dies concepit Elisabeth uxor
eius, et celabat se mensibus quinque dicens. 25 Quia sic fecit
mihi dominus in diebus quibus respexit auferre opprobrium meum
inter homines. 26 Eodem autem tempore missus est angelus
Gabriel a domino in civitatem Galilææ cui nomen Nazareth,
27 ad virginem desponsatam viro cui nomen erat Ioseph de
domo David, et nomen virginis Maria. 28 Et ingressus angelus
ad eam dixit Ave, gracia plena: dominus tecum: benedicta tu
in mulieribus. 29 Quæ cum audisset, turbata est in sermone eius,
et cogitabat qualis esset ista salutacio. 30 Et ait angelus ei Ne
timeas, Maria: invenisti enim graciam apud deum. 31 Et ecce con-
cipies in utero et paries filium, et vocabis nomen eius Iesum:
32 hic erit magnus et filius altissimi vocabitur, et dabit illi do-
minus deus sedem David patris sui et regnabit in domo Iacob
in æternum, 33 et regni eius non erit finis. 34 Dixit autem
Maria ad angelum Quomodo fiet istud, quoniam virum non
cognosco? 35 Et respondit angelus dixit ad illam Spiritus san-
ctus superveniet in te, et virtus altissimi obumbrabit tibi: ideo-
que et quod nascitur ex te sanctum vocabitur filius dei. 36 Et
ecce Elisabeth cognata tua, et ipsa consepit filium in se-
necta sua et hic mensis sextus est illi quæ vocatur steri-
lis: 37 quia non est inpossibile deo omne verbum. 38 Dixit
autem Maria Ecce ancilla domini, contingat mihi secun-
dum verbum tuum. Et discessit ab illa angelus. 39 Exsurgens
autem Maria in diebus illis abiit in montana cum festinacione in
civitatem Iudæ, 40 et intravit in domum Zachariæ et salutavit
Elisabeth. 41 Et factum est ut audivit salutacionem Mariæ
Elisabeth exultavit infans in utero eius: et repleta est spiritu
sancto Elisabeth, 42 et exclamavit voce magna dicens Benedicta
tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui. 43 Et
unde hoc mihi ut veniat mater domini mei ad me? 44 Ecce
enim ut facta est vox salutacionis tuæ in auribus meis, exultavit
in gaudio infans in utero meo. 45 Et beata quæ credidisti
quoniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi a domino. 46 Et
ait Maria Magnificat anima mea dominum, 47 et exultavit spiri-

tus meus in deo salutari meo, 48 qui respexit humilitatem an-
cillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generacio-
nes, 49 quia fecit mihi magna qui potens est: et sanctum nomen
eius, 50 et misericordia eius in sæcula sæculorum timentibus
eum. 51 Fecit potenciam suam in brachio suo, dispersit superbos
mente cordis sui: 52 deposuit potentes mente cordis sui: 52 de-
posuit potentes de sede et exaltavit humiles, 53 esurientes re-
plevit bonis et divites dimisit inanes. 54 Suscepit Israel puerum
suum memoria misericordiæ suæ, 55 sicut locutus est ad patres
nostros, Abraham et semini eius in sæcula. 56 Mansit autem
Maria cum illa quasi mensibus tribus, et reversa est in domum
suam magnificans deum. 57 Elisabeth autem impletum est
tempus pariendi, et peperit filium. 58 Et audierunt vicini et
cognati eius quia magnificavit dominus misericordiam suam cum
illa, et congratulabantur ei. 59 Et factum est in die octavo ve-
nererunt circumcidere puerum, et vocabant eum nomine patris
eius Zachariam. 60 Et respondens mater eius dixit Non, sed Io-
hannes vocabitur. 61 Et dixerunt ad illam Nemo est in cogna-
cione tua qui vocetur hoc nomine. 62 Annuebant autem patri
eius quem vellet vocari eum. 63 Et accepit pugillarem et scrip-
sit dicens Iohannes est nomen eius. Et mirati sunt omnes.
64 Continuo autem resolutum et apertum est os et lingua
eius, et loquebatur benedicens deum. 65 Et factus est timor
magnus super omnes vicinos eorum, et universam montanam Iu-
dææ, et diffamabantur hæc verba omnia, 66 et posuerunt omnes
qui audierant in corde suo, dicentes Quid putas erit puer iste?
Etenim manus domini erat cum illo. 67 Et Zacharias pater
eius impletus est spiritu sancto et prophetabat dicens 68 Bene-
dictus est deus Israel, qui visitavit et fecit redempcio-
nem plebis suæ, 69 et erexit cornu salutis nobis in domum Da-
vid pueri sui, 70 sicut locutus est per os sanctorum prophetarum
suorum qui a principio sunt [et prophetarum eius], 71 et libe-
ravit nos ab inimicis nostris et de manu omnium qui nos ode-
runt, 72 ad faciendam misericordiam cum patribus nostris et
memoratus est testamenti sancti sui, 73 iusiurandum quod iura-
vit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis 74 ut sine
timore de manu inimicorum nostrorum liberati serviamus ei
75 in sanctitate et iusticia coram ipso omnibus diebus nostris.
76 Et tu, puer, propheta altissimi vocaberis: præibis enim ante
faciem domini præparare vias eius, 77 ad dandam scienciam sa-
lutis plebi eius in remissionem peccatorum eorum 78 per viscera
misericordiæ dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto,
79 illuminare his qui in tenebris sunt et in umbra mortis se-
dentibus ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. 80 Puer
autem crescebat et confortabatur spiritu, et erat in desertis usque
in diem progressionis suæ ad Israel.

II. 1 Factum est autem in illis diebus exivit edictum a
cæsare Augusto ut describeretur universus orbis terræ: 2 hæc
professio prima facta est præside Syriæ Cyrino: 3 et ibant omnes
ut profiterentur singuli in suam civitatem. 4 Ascendit autem et
Ioseph a Galilæa de civitate Nazareth in Iudæa, in civitatem
David quæ vocatur Bethleem, eo quod esset de domo et familia
David, 5 ut profiteretur cum uxore sua prægnante. 6 Factum
est autem cum essent ibi, impleti sunt dies ut pareret, 7 et pe-
perit filium primogenitum, et pannis eum involvit et posuit eum
in præsepio, quia non erat locus in diversorio. 8 Et pastores
erant in illa regione vigilantes et custodientes vigilias noctis supra gre-
gem suum. 9 Et ecce angelus domini stetit circa illos, et claritas
dei circumfulsit illos, et timuerunt timore magno. 10 Et dixit illis an-
gelus Nolite timere: ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum,
quod erit omni plebi, 11 quia natus est vobis hodie salvator, qui
est Christus dominus in civitate David. 12 Et hoc vobis signum:
Invenietis infantem pannis involutum et positum in præsepio.
13 Et subito facta est cum angelo multitudo excercitus cælestis
laudantes deum et dicentes 14 Gloria in altissimis deo, et pax
in terra hominibus bonæ voluntatis. 15 Et factum est ut dis-
cessisset ab illis angelus in cælum, et illi pastores dixerunt ad
invicem Transeamus usque Bethleem et videamus hoc verbum
quod factum est, sicut dominus ostendit nobis. 16 Et venerunt
festinantes, et invenerunt Mariam et Ioseph et infantem positum
in præsepio. 17 Et cognoverunt de verbo quod dictum est illis
de puero hoc. 18 Et omnes qui audierant mirati sunt de his
quæ dicta erant a pastoribus ad ipsos: 19 Maria vero conserva-
bat omnia verba hæc conferens in corde suo. 20 Et reversi
sunt pastores, magnificantes et laudantes dominum in omnibus
quæ audierant et viderant sicut dicta sunt ad illos. 21 Et post-
quam consummati sunt dies octo ut circumcideretur, vocatum est
nomen eius Iesus, quod vocatum est ab angelo prius quam in
utero conciperetur. 22 Et postquam impleti sunt dies purgacio-
nis eius secundum legem Moysi, tulerunt illum in Ierusalem ut
sisterent eum domino, 23 sicut scriptum est in lege domini quia
omne masculum quod operit vulvam sanctum dei vocabitur,
24 et ut darent hostiam sicut dictum est in lege domini, par
turturum aut duos pullos columbarum. 24 Et ecce erat homo in
Ierusalem cui nomen erat Symeon, et hic homo iustus et timora-
tus, expectans consolacionem Israel, et spiritus sanctus erat in ipso;
26 responsum autem acceperat a spiritu sancto, non visurum
se mortem nisi prius videret Christum dominum. 27 Et hic ve-
nit in spiritu in templo: et cum ducerent puerum Iesum pa-
rentes eius ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo,
28 et ipse accepit eum in manus suas et benedixit deum et
dixit: 29 Nunc dimittis servum tuum, domine, secundum verbum

tuum in pace, 30 quoniam viderunt oculi mei salutare tuum, 31
quod parasti ante faciem omnium populorum, 32 lumen ad reve-
lacionem gencium et gloria plebi Israel. 33 Et erat Ioseph et
mater eius mirantes super his quæ dicebantur de illo. 34 Et
benedixit illos Symeon, et dixit ad Mariam matrem illius Ecce hic
positus est in ruinam et in resurreccionem multorum in Israel et
in signum quod contradicetur: 35 et tuam et ipsius animam pertran-
siet pladius, ut revelentur multorum cordium cogitaciones. 36 Et
erat Anna prophetissa, filia Fanuel, de tribu Aser: hæc pro-
cesserat in diebus multis et vixerat annis cum viro suo septem
a virginitate sua, 37 et hæc vidua annorum LXXXIIII quæ non
discedebat de templo ieiuniis et obsecracionibus serviens nocte
ac die. 38 Et hæc ipsa orans confitebantur domino et loqueba-
tur de illo omnibus qui spectabant redempcionem Ierusalem.
39 Et ut perfecerunt omnia secundum legem domini, reversi sunt
in Galilæam in civitatem suam Nazareth. 40 Puer autem confor-
tabatur et crescebat et implebatur sapiencia, et gracia dei erat cum
illo. 41 Et ibant Ioseph et Maria mater eius per omnes annos in
Ierusalem in omni die solemni paschæ. 42 Et cum factus esset
Iesus annorum XII et ascendissent parentes eius in Ierusalem, se-
cundum consuetudinem diei festi azymorum, 43 consummatisque
diebus cum redirent, remansit puer Iesus in Ierusalem, et non
cognovit Ioseph et mater eius. 44 Æstimantes illum esse in comi-
tatu, venerunt iter diei, et requirebant eum inter cognatos et notos,
45 et non invenientes regressi sunt in Ierusalem requirentes eum.
46 Et factum est post triduum et invenerunt illum in templo
sedentem in medio docencium audientem illos et interrogantem
eos: 47 stupebant autem omnes qui eum audiebant super pruden-
cia et responsis eius. 48 Et viso illo expaverunt; et dixit mater
eius ad illum Fili, quid fecisti nobis sic? ecce pater tuus et
ego dolentes quærebamus te. 49 Et ait ad illos Quid est quod
me quærebatis? nescitis quia in his quæ patris mei sunt
oportet me esse? 50 Et ipsi non intellexerunt verbum quod lo-
cutus est ad illos. 51 Et descendit cum illis et venit in Nazareth,
et erat subditus illis: et mater eius conservabat omnia verba
hæc in corde suo. 52 Et Iesus proficiebat ætate et sapiencia et
gracia apud deum et homines.

III. 1 Anno autem quintodecimo imperii Tiberii cæsaris,
procurante Pontio Pilato Iudæam, tetrarcha autem Galilææ He-
rode, Philippo autem fratre eius tetrarcha Iturææ et Trachoniti-
dis regionis, et Lyzania Abilinæ tetrarcha, 2 sub sacerdotum
principibus Anna et Caipha, factum est verbum domini super Io-
hannem baptistam Zachariæ filium in deserto. 3 Et venit in
omnem regionem Iordanis prædicans baptismum pænitenciæ in
remissionem peccatorum, 4 sicut scriptum est in libro proverbio-
rum Ysaiæ prophetæ Vox clamantis in deserto Parate viam domini,

rectas facite semitas eius: 5 omnis vallis implebitur et omnis
mons et collis humiliabitur, et erunt prava in directa et aspera
in vias planas, 6 et videbit omnis caro salutare dei. 7 Dicebat
ergo ad turbas quæ exibant ut baptizarentur ab eo Progenies
viperarum, quis ostendit vobis fugere ab ira ventura? 8 Facite
ergo fructus dignos pænitenciæ, et ne coeperitis dicere Patrem
habemus Abraham: dico enim vobis quia potens est deus de la-
pidibus istis suscitare filios Abrahæ. 9 Iam autem et securis ad
radices arborum posita est: omnis autem arbor non faciens fru-
ctum bonum exciditur et in ignem mittetur. 10 Et interrogave-
runt illum turbæ dicentes Quid faciemus? 11 Respondens autem
dicebat illis Qui habet duas tunicas det non habenti, et qui ha-
bet escas similiter faciat. 12 Venerunt autem et publicani ut
baptizarentur, et dixerunt ad illum Quid faciemus, magister? 13 At
ille dixit [ad eos] Nichil amplius exigatis quam quod constitutum
est vobis. 14 Interrogaverunt etiam et milites dicentes Quid fa-
ciemus et nos? Et ait illis Neminem concuciatis neque calum-
niam faciatis, contenti estote stipendiis vestris. 15 Existi-
mante autem plebe et cogitantibus omnibus in præcordiis suis
de Iohanne, ne forte ipse esset Christus, 16 respondens dixit Iohan-
nes omnibus Ego quidem vos aqua baptizo in pænitenciam: veniet au-
tem fortier me, cuius non sum dignus solvere corrigiam calceamen-
torum eius, ipse vos baptizabit in spiritu sancto et igni: 17 et
ferens ventilabrum in manu sua, et purgabit aream suam, et
congregabit tricicum in horeum suum, paleas autem comburet
igni inextinguibili. 18 Multa quidem et alia hortans evangeli-
zabat populum: 19 Herodes autem tetrarcha cum corriperetur
ab illo de Herodiada uxore fratris sui, et de omnibus malis quæ
fecit Herodes, 20 adiecit et hoc supra omnia et inclusit Iohan-
nem in carcerem. 21 Factum est autem cum baptiztus esset
omnis populus, et Iesu baptizato et orante apertum est cælum,
22 et descendit spiritus sanctus corporali specie sicut columba
in ipsum, et vox de cælo facta est Filius meus es tu ego hodie
genui te. 23 Et ipse Iesus erat incipiens fere annorum triginta,
quod putabatur esse filius Ioseph, 24 Levi, qui fuit Melchi, qui
fuit Ianne, qui fuit Ioseph, 25 qui fuit Naum, qui fuit Esli,
qui fuit Magge, 26 qui fuit Mathatiæ, qui fuit Semei, qui fuit
Iosec, qui fuit Iuda, 27 qui fuit Iohanna, qui fuit Resa, qui
fuit Zorobabel, qui fuit Salathiel, qui fuit Meeri, 28 qui fuit
Melchi, qui fuit Addi, qui fuit Cosam, qui fuit Helmadam, qui
fuit Er, 29 qui fuit Iesu, qui fuit Eliezer, qui fuit Iorim, qui
fuit Matthatam, qui fuit Levi. 30 qui fuit Symeon, qui fuit
Iuda, qui fuit Ioseph, qui fuit Ionam, qui fuit Eliachim, 31 qui
fuit Melea, qui fuit Menna, qui fuit Mattata, qui fuit Natam,
qui fuit David, 32 qui fuit Iesse, qui fuit Iobed, qui fuit Booz,
qui fuit Salmon, qui fuit Naasson, 33 qui fuit Aminadab. qui

fuit Aram, qui fuit Esrom, qui fuit Fares, qui fuit Iudæ,
34 qui fuit Iacob, qui fuit Isac, qui fuit Abrabam, qui fuit
Thare, qui fuit Nachor, 35 qui fuit Seruch, qui fuit Ragau, qui
fuit Phalec, qui fuit Eber, qui fuit Sale, 36 qui fuit Cäinan,
qui fuit Arfaxat, qui fuit Sem. qui fuit Noe, qui fuit Lamech,
37 qui fuit Matusale, qui fuit Enoc, qui fuit Iareth, qui fuit
Malaleel, qui fuit Cainan, 38 qui fuit Enos, qui fuit Seth, qui
fuit Adam, qui fuit dei.

IV. 1 Iesus autem plenus spiritu sancto regressus est ab
Iordane, et agebatur a spiritu in desertum 2 per dies XL,
et temptabatur a diabolo. Et nichil manducavit diebus, et
consummatis his esuriit. 3 Dixit autem illi diabolus Si filius dei
es, dic lapidi huic ut panis fiat. 4 Et respondit ad illum Iesus
dicens Scriptum est Quia non in pane solo vivet homo sed in omni
verbo dei. 5 (9) Et duxit illum diabolus in Ierusalem et statuit eum
super pinnam templi, et dixit illi Si filius dei es, mitte te hinc:
6 (10) scriptum est enim quod angelis suis mandavit de te ut te
conservent, 7 (11) quia in manibus tollent te ne forte offendas ad
lapidem pedem tuum. 8 (12) Respondens Iesus dixit illi Scriptum
est Non temptabis dominum deum tuum. 9 (5) Et duxit illum iterum
diabolus in montem altissimum et ostendit illi omnia regna orbis terræ
in momento temporis, 10 (6) et dixit ad illum diabolus Hæc omnia
mihi tradita sunt et cui volo do illa: 11 (7) tu vero si adoraveris
coram me, erunt tua omnia. 12 (8) Respondens dixit illi Iesus
Scriptum est Dominum deum tuum adorabis et illi soli servies. 13 Et
consummata omni temptacione diabolus recessit ab illo usque ad
tempus. 14 Et reversus est Iesus in virtute spiritus in Galilæam,
et fama exiit de illo in universam regionem: 15 et ipse doce-
bat in synagogis eorum, et magnificabatur ab hominibus. 16 Et
venit in Nazareth, ubi erat nutritus, et intravit secundum con-
suetudinem in die sabbati in synagoga, et surrexit legere.
17 Et traditus est illi liber Ysaiæ prophetæ: et ut revolvit li-
brum et invenit locum ubi erat scriptum. 18 Spiritus domini su-
per me, quod unxit me evangelizare pauperibus, misit me,
19 prædicare captivis remissionem et cæcis visum, dimittere con-
fractos in remissionem, prædicare annum domini acceptum et
diem retribucionis. 20 Et cum plicuisset librum, reddidit ministro
et sedit, et omnium oculi erant in synagoga intendentes in eum.
21 Coepit autem dicere ad illos Quia hodie impleta est hæc
scriptura in auribus vestris. 22 Et omnes illi testimonium redde-
bant, et mirabantur in verbis graciæ quæ procedebant de ore
ipsius, et dicebant Nonne hic est filius Ioseph? 23 Et ait ad
illos Utique dicetis mihi hanc similitudinem Medice, cura te
ipsum: quanta audivimus facta in Capharnaum, fac et hic in
patria tua. 24 Ait autem Iesus Amen dico vobis quia nemo
propheta acceptus est in patria sua. 25 In veritate dico vobis,

multæ viduæ fuerunt in diebus Heliæ in Israel, quando clausum
est cælum annis tribus et mensibus VI, cum facta est fames
magna in omni terra, 26 et ad nullam illarum missus est Helias
nisi in Sarepta Sidoniæ ad mulicrem viduam. 27 Et multi
leprosi erant in Israel sub Helisæo propheta, et nemo eorum mun-
datus est nisi Naaman Syrus. 28 Et repleti sunt omnes in sy-
nagoga iracundia hæc audientes 29 et surrexerunt et eiecerunt
illum extra civitatem, et duxerunt illum super cilium montis, supra
quem civitas erat ædificata ipsorum, ut præcipitarent eum:
30 Ipse autem transivit per medium ipsorum et ibat. 31 Et
descendit Capharnaum civitatem Galilææ, et docebat illos
sabbatis: 32 et stupebant in doctrina eius, quia in potestate erat
sermo ipsius. 33 Et in synagoga erat homo habens dæmonium
immundum, et exclamavit voce magna 34 dicens Quid nobis
et tibi est Iesu Nazarene? ut quid venisti ante tempus perdere
nos? scio te qui sis, sanctus dei filius. 35 Et increpavit illum
Iesus dicens Ommutesce et exi ab illo. Et cum proiiciens eum
dæmonium in medium, exiit ab eo nichilque illum nocuit. 36 Et
factus est pavor in omnibus, et colloquebantur ad invicem dicen-
tes Quis est iste sermo quod in potestate et virtute imperat
immundis spiritibus et exeunt? 37 Et divulgabatur fama de illo
in omnem locum regionis. 38 Surgens autem de synagoga intra-
vit in domum Simonis et Andreæ. Socrus autem Simonis tene-
tur magnis febribus, et rogaverunt illum pro illa. 39 Et stans
super illam imperavit febri, et dimisit illam: et continuo surrexit
et ministrabat illis. 40 Cum sol autem occidisset, omnes quicun-
que habebant infirmos variis languoribus adducebant illos ad eum:
at ille singulis manus inponens curabat eos. 41 Exibant etiam
dæmonia a multis clamancia et dicencia Tu es filius dei: et in-
crepans ea non sinebat ea loqui: quia sciebant ipsum esse Chri-
stum. 42 Facta autem die egressus abiit in desertum locum, et
turbæ requirebant eum: et venerunt usque ad ipsum, et retine-
bant illum ne ab eis discederet. 43 Quibus ille ait. Et aliis
civitatibus oportet me evangelizare regnum dei, quia ideo missus
sum. 44 Et erat prædicans in synagogis Galilææ.

V. 1 Factnm est autem cum turbæ irruerent in eum et
audierunt verbum dei, et ipse stans secus stagnum Genesareth:
2 vidit duas naves stare secus stagnum, piscatores autem descen-
derant ex ipsis et lavabant retia. 3 Ascendens autem in unam
navem quæ erat Simonis, dixit illis ut ducerent a terra in altum,
et sedens docebat de navicula turbas. 4 Ut cessavit autem loqui,
dixit ad Simonem Duc in altum, et laxa retia tua in capturam.
5 Respondens dixit illi Simon: Præceptor, per totam noctem la-
borantes nichil cepimus: sed in verbo tuo laxabo retia. 6 Et
cum hoc fecissent concluserunt piscium multitudinem copiosam,
rumpebantur autem retia eorum. 7 Et annuerunt sociis suis qui

erant in alia navi ut venirent et adiuvarent eos: et venerunt et,
impleverunt ambas naviculas ita ut pene mergerentur. 8 Cum
videret autem Simon Petrus, procidit ad pedes Iesu dicens Oro te
exi a me, domine, quia homo peccator sum. 9 Stupor enim cir-
cumdederat eum et omnes qui cum illo erant in captura piscium
quam ceperant, 10 similiter autem Iacobus et Iohannes filii
Zebedæi, socii Simonis. Et dixit ad Simonem Iesus Noli timere,
iam ex hoc eris homines capiens. 11 Et subductis ad terram
navibus, relinquentes omnia secuti sunt eum. 12 Et factum est
cum esset in una ex civitatibus, et ecce vir lepra plenus: et ipse
procidens super faciem suam deprecatur eum dicens, si volueris
Domine, potes me mundare. 13 Et extendens manum tetigit
eum dicens Volo, mundare. Et continuo lepra discessit ab eo.
14 Et ipse præcepit illi ut nemini diceret, sed Vadens ostende
te sacerdoti, et offer munus pro emundacione tua sicut præcepit
Moyses, ut fit in testimonium vobis istud. 15 Divulgabatur au-
tem de eo sermo, et conveniebant turbæ multæ audire et curari
ab infirmitatibus suis: 16 ipse autem sedebat in deserto et ora-
bat. 17 Et factum est in una dierum ipso docente, et erant
Pharisæi sedentes et legis doctores, qui advenerant ex omni
castello Galilææ et Iudææ et Ierusalem, et virtus erat domini
ut curaret eos. 18 Et ecce viri ferentes in lecto hominem qui
erat paralyticus, et quærebant inferre illum et ponere: 19 et
non invenientes qua parte illum inferrent præ turba, ascendentes
per tectum per tegulas summiserunt illum in medio cum grabato
ante Iesum. 20 Qui cum vidisset fidem illorum, dixit homini,
Dimittuntur tibi peccata tua. 21 Et coeperunt cogitare scribæ
et Pharisæi dicentes in cordibus suis Quis est hic qui loquitur
blasphemias? quis potest peccata dimittere nisi solus deus?
22 Cognitis autem Iesus cogitacionibus eorum, dixit ad eos
Quid cogitatis mala in cordibus vestris? 23 Quid est facilius
dicere Dimittuntur tibi peccata tua, aut dicere Surge et ambula?
24 Ut sciatis autem quoniam potestatem habet filius hominis
super terram peccata dimittere, dixit paralytico Tibi dico surge,
tolle grabatum tuum et vade in domum tuam. 25 Et continuo
surrexit coram ipsis et sublato grabato in quo iacebat, abiit in
domum suam magnificans deum. 26 Et pavor apprehendit omnes,
et magnificabant deum: et timore repleti sunt, dicentes Quoniam
vidimus mirabilia hodie. 37 Et post hæc exiit Iesus et aspexit
publicanum nomine Levi sedentem ad teloneum, et dixit ei Se-
quere me. 28 Et dimissis omnibus surrexit et secutus est eum.
29 Et fecit ei epulum magnum Levi in domo sua, et erat turba
magna publicanorum et aliorum qui cum eis erant discumbentes.
39 Pharisæi autem et scribæ eorum murmurabant dicentes ad
discipulos eius Quare cum publicanis et peccatoribus manducat
et bibit? 31 Et respondens Iesus dixit ad illos Non est opus

sanis medicus, sed male habentibus 32 non veni vocare iu-
stos sed peccatores in pænitenciam. 33 Illi autem dixerunt ad
eum Quare discipuli Iohannis ieiunant frequenter et Pharisæorum
et oraciones faciunt, tui autem discipuli edunt et bibunt? 34 Ipse
autem dixit ad illos: Non possunt filii sponsi, quandiu sponsus
cum eis est ieiunare? 35 Venient autem dies cum aufferetur
ab eis sponsus, et tunc ieiunabunt in illis diebus. 36 Dixit au-
tem parabolam ad eos Quia nemo commissuram de vestimento
novo immittit in vestimentum vetus: si quominus et novum conscin-
dit, et veteri non convenit additamentum quod est a novo. 37 Et
nemo mittit vinum novum in utres veteres si quominus rumpet
vinum novum utres, et vinum effundetur et utres peribunt:
38 sed vinum novum in utres novos mittunt, et utraque conser-
vantur.

VI. 1 Factum est autem sabbato perambulare eum per
sata, discipuli eius vellebant spicas et edebant confricantes eas
manibus suis. 2 Quidam autem Pharisæorum dicebant Quid facitis
sabbatis quod non licet? 3 Et respondens Iesus dixit illis
Neque hoc legistis quod fecit David quando esuriit ipse et qui
cum eo erant? 4 et introivit in domum dei et panes proposi-
cionis accepit? et manducavit et eis qui cum eo erant dedit quos
non licebat manducare nisi solis sacerdotibus? 5 Et dicebat illis
Quia dominus est filius hominis etiam sabbati. 6 Factum est
autem in alio sabbato introire eum in synagogam et docere:
erat autem illic homo, et manus illius dextera erat arida. 7 Obser-
vabant igitur scribæ et Pharisæi si sabbato curaret, ut in-
venirent unde accusarent eum. 8 Ipse autem sciebat cogitaciones
eorum, et dicit illi homini habenti manum aridam Surge et sta
in medio. Et surrexit et stetit. 9 Dixit autem Iesus ad illos
Interrogabo vos si licet sabbato bene facere aut male, animam
salvare aut perdere? 10 Et circumspiciens omnes illos iratus
dixit homini illi Extende manum tuam. Et extendit, et restituta
est manus eius et facta est sicut altera. 11 Illi autem impleti
sunt stulticia, et colloquebantur ad alterutrum quidnam facerent
de Iesu. 12 Factum est autem in illis diebus exiit Iesus in
monte orare, et erat pernoctans in oracione dei. 13 Et cum
factus esset dies convocavit ad se discipulos suos, et elegit ex
eis XII quos et apostolos nominavit, 14 Petrum et Andream
fratrem eius, Iacobum et Iohannem, et Philippum et Bartholomæ-
um, 15 et Matthæum et Thomam et Iacobum Alphæi et Simo-
nem qui vocatur Zelotes, 16 et Iudam Iacobi et Iudam Scariotha
qui factus est traditor: 17 et descendens cum illis stetit in loco
campestri, et turba discipulorum eius cum eo et multitudo magna
populi de tota Iudæa et Ierusalem et trans fretum et maritimi
Tyri et Sidonis et aliarum civitatum, 18 qui venerant audire
eum et curari a languoribus suis: et qui vexabantur a spiritibus

immundis curabantur: 19 et omnis turba quærebat tangere eum,
et curari quia virtus ab eo exibat et sanabat omnes. 20 Ipse autem
elevatis oculis suis in discipulos suos dicebat Beati pauperes spiritu
quia vestrum est regnum cælorum. 21 Beati qui esuritis et sititis
iusticiam quoniam saturabimini. Beati qui fletis nunc quia ride-
bitis. 22 Beati eritis cum odient vos homines, et quando separaverint
vos et cum eiecerint et exprobraverint nomen vestrum quasi nequam
propter filium hominis. 23 Gaudete in illa die et exultate: ecce
enim merces vestra multa est in cælo: eadem enim faciebant
prophetis patres illorum. 24 Verum tamen væ vobis divitibus,
quoniam iam consecuti estis consolacionem vestram. 25 Væ
vobis qui saturati estis, quia esurietis. Væ vobis qui ridetis
nunc, quia plangetis et flebitis. 26 Væ quando bene vobis dixe-
rint omnes homines: eadem faciebant pseudoprophetis patres eo-
rum. 27 Sed vobis dico qui auditis Diligite inimicos vestros,
bene facite odientibus vobis, 28 benedicite maledicentibus vo-
bis, orate pro calumniantibus vobis. 29 Pecucienti te in maxil-
lam præbe illi et alteram, et auferenti a te pallium tunicam ne
prohibeas: 30 omni autem petenti te da, et auferentem tunicam
tuam noli prohibere. 31 Et quomodo vultis ut faciant vobis ho-
mines, et vos facite illis similiter. 32 Et si diligitis eos qui vos
diligunt, quæ est vobis gracia? nam peccatores diligentes se dili-
gunt. 33 Et si benefeceritis benefacientibus vobis, quæ est
gracia? cum et peccatores hæc faciunt. 34 Et si feneratis a
quibus speratis recipere, quæ vobis est gracia? nam et pecca-
tores peccatoribus fenerantur ut recipiant. 35 Veruntamen di-
ligite inimicos vestros et benefacite; fenerate nichil inde speran-
tes: et erit merces vestra multa in cælis et eritis filii altissimi,
quoniam ipse bonus est super ingratos et malos. 36 Estote
ergo misericordes, sicut pater vester misericors est vobis.
Nolite iudicare, ne iudicetur de vobis: nolite condemnare, ne
condemnemini: dimittite, et dimittetur vobis: 38 date, et dabitur
vobis, mensuram bonam cumulatam superfundentem dabunt in si-
num vestrum: qualem enim mensuram mensi fueritis remetietur
vobis. 39 Dicebat enim et parabolam illis. Nunquid potest cæ-
cus cæco ducatum præstare? nonne ambo in foveam ca-
dunt? 40 Non est discipulus super magistrum: perfectus autem
erit omnis si sit sicut magister meus. 41 Quid autem vides
festucam in oculo fratris tui, trabem autem quæ est in oculo
tuo non vides? 42 Aut quomodo potes dicere fratri tuo Sine
eiiciam stipulam de oculo tuo, et ecce in oculo tuo trabes sub-
iacet? Hypocrita, eiice primum trabem de oculo tuo, et tunc vi-
debis eiicere festucam de oculo fratris tui. 43 Non est enim
arbor bona faciens fructus malos, neque arbor mala faciens fru-
ctus bonos. 44 Unaquæque arbor ex fructu suo cognoscetur: non
enim colligunt de spinis ficus, neque de rubo vindemiant uvas. 45 Bo-

nus enim homo de bono thesauro cordis sui profert bona, et
malus homo de malo thesauro cordis sui profert malum: ex
abundancia enim cordis os eius loquitur. 46 Quid autem me
vocatis Domine domine, et non facitis quæ dico? 47 Omnis
qui venit ad me et audit verba mea et facit ea, ostendam vo-
bis cui similis sit. 48 Similis est homini domum ædificanti, qui
fodit in altum et posuit fundamenta super petram; inundacione
autem facta irruit flumen in domum illam, et non valuit concu-
tere eam: fundata enim erat super petram. 49 Qui autem audit
verba mea et non facit ea, similis est homini ædificanti domum
suam super terram sine fundamento, impegit flumen in domum
illam, et cecidit, et facta est ruina domus illius magna.

VII. 1 Factum est autem cum perfecisset Iesus omnia
verba in auribus populi, introivit Capharnaum. 2 Centurionis au-
tem cuiusdam servus male habens proximus morti erat qui erat
illi preciosus. 3 Cum audisset de Iesu, misit seniores Iu-
dæorum, rogans Iesum ut veniret et sanaret servum eius. 4 Illi
autem cum advenissent rogabant Iesum sollicite dicentes Quia
dignus est ut præstes ei hoc, 5 diligit enim gentem nostram, et
synagogam ipse edificavit nobis. 6 Ibat ergo cum illis Iesus; et
iam cum non longe esset a domo, misit ad eum amicos centurio
dicens ei Domine, noli te vexare: non enim sum dignus ut sub
tectum meum intres; 7 sed dic verbo, et curabitur puer meus.
8 Nam et ego homo sum sub potestate constitutus, et habeo sub
me milites, et dico huic Vade, et vadit, et alio Veni, et venit, et
servo meo dico Fac hoc, et facit. 9 Auditis igitur sermonibus his
Iesus miratus est, et conversus sequentibus se turbis ait Amen
dico vobis in nullo tantam fidem inveni in Israel. 10 Et re-
versi domum qui missi erant invenerunt puerum salvum. 11 Et
factum est sequenti die ibat in civitatem quæ vocatur Naim, et
commitabantur cum eo discipuli eius multi et turba magni. 12 Et
factum est quomodo appropinquavit portas civitatis, et ecce effe-
rebatur unicus filius matri suæ, et hæc vidua erat, et turba
multa civitatis cum ea. 13 Et cum vidisset illam dominus, miseri-
cordia motus est super eam et dixit illi Noli flere. 14 Et acce-
dens tetigit loculum, illi itaque qui portabant steterunt, et dixit
Iesus Adolescens, tibi dico Surge. 15 Et surrexit et sedit qui
erat mortuus et coepit loqui, et reddidit eum matri suæ. 16 Et
hoc viso invasit omnes timor, et honorificabant deum dicentes
Quia propheta magnus surrexit in nobis, et quia visitavit dominus
populum suum in bonum. 17 Et exiit sermo iste in totam Iudæ-
am et omni regioni confini de eo. 18 Et renunciaverunt Iohanni
discipuli eius de omnibus his. 19 Et convocavit duos discipulos
suos Iohannes et misit ad Iesum dicens Tu es qui venturus es,
an alium speramus? 20 Qui cum venissent ad eum viri illi dixe-
runt Iohannes baptista misit nos ad te dicens Tu es qui ventu-

rus es an alium speramus? 21 In illa hora multos curavit a
languoribus suis et a verberibus et malis spiritibus, et cæcos
multos faciebat videre. 22 Et respondens Iesus dixit illis Euntes
renunciate Iohanni quæ vidistis et audistis, cæci vident, claudi
ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pau-
peres evangelizantur: 23 et beatus quicunque non scandalizabitur
in me. 24 Cum discessissent autem nuncii Iohannis, coepit Ie-
sus dicere ad turbas de Iohanne Quid existis in desertum vi-
dere? arundinem vento agitari? 25 Sed quid existis videre? ho-
minem mollibus vestitum? ecce qui mollibus vestiuntur, in
domibus regum sunt. 26 Sed quid existis videre? prophetam?
utique dico vobis, amplius quam propheta. 27 Ipse est de quo
scriptum est Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui
præparabit viam tuam ante te. 28 Dico autem vobis, Quia nemo
inter natos mulierum maior Iohanne baptista; qui minimus
est autem in regno dei, maior est illo. 29 Et omnis populus
cum audisset et publicani iustificaverunt deum, baptizati baptis-
mum Iohannis: 30 Pharisæi autem et legis doctores consilium
dei spreverunt in se cum non essent baptizati. 31 Cui ergo assi-
milabo homines generacionis huius, cui sunt similes? 32 Similes
sunt pueris in foro sendentibus et clamantibus ad invicem dicen-
tibus Cantavimus vobis et non saltastis, planximus et non plora-
stis. 33 Venit Iohannes baptista neque manducans neque
bibens, et dicitis Dæmonium habet: 34 venit filius hominis man-
ducans et bibens, et dicitis Ecce homo vorax et vini potator,
amicus publicanorum et peccatorum. 35 Et iustificata est sapi-
encia ab omnibus filiis suis. 36 Rogavit autem illum quidam
de Pharisæis ut manducaret cum illo: et ingressus domum Pha-
risæi recubuit. 37 Et ecce mulier quæ erat in civitate peccatrix,
cum cognovisset quoniam in domo Pharisæi recubuit attulit
alabastrum unguenti, 38 et stans retro ad pedes eius flens
lacrimis suis lavit pedes eius et capillis capitis sui tergebat, et
osculabatur pedes eius et ungebat unguento, 39 Videns autem
Pharisæus qui eum invitaverat, dixit apud semetipsum dicens
Hic si esset propheta, sciret forsitan quæ mulier et qualis est
quæ eum tetigit, quia peccatrix est. 40 Et respiciens Iesus dixit
Simoni: Simon, habeo tibi aliquid dicere. Ille autem ait Magister,
dic. Dixit ergo Iesus: 41 Duo debitores erant cuidam fenera-
tori, et unus debebat denarios quingentos, alius autem dena-
rios L. 42 Et cum non haberent unde redderent, utrisque do-
navit. Quis igitur eum plus amavit? 43 Respondens Simon
dixit Arbitror quia cui plus donavit. Ipse itaque dixit ei Recte
iudicasti. Et conversus ad mulierem dixit Simon Vides istam
mulierem? introivi in domum tuam; aquam pedibus meis non de-
disti: hæc autem lacrimis suis lavit pedes meos et capillis suis
extersit. 45 Osculum mihi non dedisti: hæc autem ex quo introivi

non cessavit osculando pedes meos. 46 Oleo non unxisti caput
meum: hæc autem unguento unxit. 47 Propter quod dico tibi,
Dimittuntur illi peccata multa, quoniam dilexit multum: cui au-
tem minus dimittitur, minus diligit. 48 Et dixit ad illam Mu-
lier dimissa sunt tibi peccata. 49 Et coeperunt qui pariter re-
cumbebant dicere secum Quis est hic qui etiam peccata dimittit?
50 Dixit autem ad mulierem Fides tua te salvavit: vade in
pace.

VIII. 1 Et factum est in sequenti ut circuiret civitates et
castella prædicans et annuncians regnum dei et illi XII
discipuli cum eo, 2 et mulieres quædam quæ fuerant curatæ ab
spiritibus immundis et infirmitatibus et Maria quæ vocatur
Magdalene, ex qua dæmonia exierant XII, 3 et Iohanna
Chuzæ uxor procuratoris Herodis, et Susanna, et aliæ multæ quæ
et ministrabant eis de facultatibus suis. 4 Conveniente autem
turba multa et qui de singulis civitatibus exibant dixit parabolam
ad illos: 5 Exiit qui seminat seminare: et dum seminat, aliud
cecidit secus viam, et conculcatum est, et volucres cæli comede-
runt illud, 6 Et aliud cecidit super petram, et natum et exaruit,
quia non habebat humorem. 7 Et aliud cecidit inter spinas, et
creverunt spinæ et suffocaverunt illud. 8 Et aliud cecidit super
terram bonam et optimam et cum fructificasset fecit fructum cum
centesimo. Hæc dicens clamabat Qui habet aures audiendi audiat.
9 Interrogaverunt autem eum discipuli eius quæ sit parabola hæc.
10 Ipse itaque dixit illis Vobis datum est nosse mysterium regni dei,
cæteris autem in parabolis, ut videntes non videant et audientes
non intelligant. 11 Est vero parabola hæc seminantis Semen est
verbum dei. 12 Qui autem secus viam seminati sunt hi qui
audiunt verbum, venit autem diabolus et tollit de corde eorum ver-
bum, ne credentes salventur. 13 Qui vero super petram, ipsi sunt
qui cum audiunt cum gaudio percipiunt verbum, et ipsi radi-
ces non habent, qui ad tempus credent et in die temptacionis
recedunt. 14 Quod autem cecidit in spinis, hi sunt qui audiunt
verbum et a sollicitudinibus diviciarum et volutatibus vitæ ambulantes
suffocantur et non perferunt fructum. 15 Quod vero cecidit in
bonam terram, hi sunt qui in corde bono audiunt verbum et reti-
nent et afferunt fructum cum tolerancia. 16 Nemo autem lu-
cernam accensam ponit sub modium aut sub lectum sed ponit
eam super candelabrum ut omnibus luceat. 17 Nichil est enim
occultum quod non manifestetur, neque obscurum quod non cogno-
scatur et palam veniat. 18 Videte quomodo auditis: quicunque
enim habet, dabitur illi, et quicunque non habet, et quod putat
se habere auferetur ab eo. 19 Venerunt autem ad eum mater eius
et fratres videre eum et non poterant loqui cum eo propter turbas.
20 Nunciatum est ergo ei Quia mater tua et fratres tui foris
stant volentes te videre. 21 Ipse autem respondens dixit illis

Mater mea et fratres mei hi sunt qui verbum dei audiunt et
faciunt. 22 Factum est autem in una dierum ipse ascendit in
navem et discipuli eius, et dixit ad illos Transfretemus hoc sta-
gnum. Et levaverunt. 23 Navigantibus autem illis obdormivit:
et descendit procella venti in stagnum, et complebatur fluctibus
navicula et periclitabatur. 24 Accesserunt autem et excitaverunt
illum dicentes Magister perimus. Ille autem surrexit et imperavit
vento et tempestas aquæ cessavit, et facta est tranquillitas.
25 Dixit autem illis Ubi est fides vestra? Et timentes mirati
sunt ad invicem dicentes Quis est hic, qui et ventis imperat et
mari, et obaudiunt illi? 26 Enavigaverunt autem ad regionem
Gerassenorum, quæ est contra Galilæam. 27 Et cum exisset ad
terram, occurit illi vir quidam de civitate qui habebat dæmonium
temporibus et vestimentum non induebatur, neque in domo mane-
bat sed in monumentis. 28 Cum vidisset autem Iesum, prostra-
vit se ei, et exclamavit voce magna dicens Quid mihi et tibi est,
Iesu fili dei altissimi? oro te ne me torqueas. 29 Præcipiebat
enim spiritui immundo ut exiret ab homine: multis enim tempo-
ribus invaserat illum, alligabatur etenim cathenis et compedibus
et custodiretur, et disrumpebat vincula agebatur enim a dæmo-
nio in loco deserto. 30 Interrogavit autem eum Iesus Quid tibi
nomen est? At ille dixit Legio nomen est mihi multa enim
fuerant dæmonia. 31 Et rogabant illum ne imperaret illis ut in
abyssum irent. 32 Erat autem ibi grex porcorum pascencium:
et rogaverunt illum ut in porcos introirent. Et permisit illis.
33 Cum exissent autem dæmonia ab homine introierunt in por-
cos, et impetu abiit grex porcorum per præceps in mari et suf-
ffocati sunt. 34 Cum vidissent autem qui pascebant quod factum
est, fugerunt et nunciaverunt in civitate et in agris. 35 Exierunt
autem de civitate videre quod factum est, et venerunt ad Iesum,
et invenerunt hominem sedentem, a quo dæmonia exierant, vestitum
et sana mente ad pedes Iesu et timuerunt: 36 nunciaverunt enim
illis qui viderant quomodo sanus esset factus. 37 Et rogave-
runt Iesum omnis multitudo regionis Gerassenorum ut discederet
ab eis, timore enim magno continebantur: ipse autem ascendens
in naviculam reversus est. 38 Et rogavit illum vir a quo dæ-
monia exierant ut cum illo esset. Dimisit autem illum dicens.
39 Vade in domum tuam, et enarra quanta tibi fecit deus. Et
abiit per totam civitatem et prædicabat quanta fecerat ei Iesus
40 Factum est autem cum redisset Iesus, excepit illum turba:
erant enim omnes expectantes eum. 41 Et cum venisset vir cui
nomen erat Iairus, princeps synagogæ, cecidit ad pedes eius, et
rogabat eum ut introiret in domum eius: 42 quia filia unica
erat illi ferre annorum XII, et hæc moriebatur. Et con-
tigit dum iret Iesus a turbis comprimebatur. 43 Et ecce mulier

quædam erat in fluxu sanguinis annis XII, quæ in me-
dicos erogaverat omnem substanciam suam nec ab ullo potuit
curari: 44 accedens retro et tetigit fimbriam vestimenti eius,
et confestim stetit fluxus sanguinis eius. 45 Et dixit Iesus
Quis me tetigit? Negantibus autem omnibus dixit ei Petrus et
qui cum eo erant Præceptor, turbæ te comprimunt et afligunt,
et dicis Quis me tetigit? 46 Et dixit Iesus Tetigit me aliquis:
ego enim sensi virtutem a me exisse. 47 Videns igitur mulier
quia non latuit eum, venit tremens et procidit ante pedes illius et
propter quam causam tetigisset eum indicavit coram omni populo,
et quemadmodum confestim sanata sit. 48 Ipse itaque dixit ei
Filia, fides tua te salvam fecit: vade in pace. 49 Adhuc eo
loquente venerunt ad principem synagogæ dicentes ei Quia mortua
est filia tua, noli vexare illum. 50 Iesus autem audito hoc ser-
mone dixit patri puellæ Noli timere: tantum crede, et salvabi-
tur. 51 Cum venisset autem in domum, non permisit introire
secum quemquam nisi Petrum et Iohannem et Iacobum et patrem
et matrem puellæ. 52 Flebant autem omnes et plangebant eam.
Ipse ergo dixit Nolite flere: non est enim mortua puella sed
dormit. 53 Irridebant autem eum, scientes quia mortua erat.
54 Ipse vero apprehensa manu eius clamavit dicens Puella, surge.
55 Et reversus est spiritus eius, et surrexit continuo: et præce-
pit illi dari manducare. 56 Parentes autem eius obstupuerunt;
quibus præcepit ut nemini dicerent quod erat factum.

IX. 1 Convocatis autem Iesus XII apostolis dedit illis virtu-
tem et potestatem super omnia dæmonia et valetudines curare, 2 et
misit illos prædicare regnum dei et sanare infirmos, 3 et ait ad
eos Nichil tuleritis in viam, non virgam, non peram, neque calcia-
menta, non panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habueritis,
4 et in quamcunque domum introieritis, illic manete et inde
ne proficiscamini. 5 Et quicunque vos non receperint, exeun-
tes de civitate illa, excutite pulverem pedum vestrorum in testi-
monium super eos, 6 Exeuntes igitur circuibant castella et ci-
vitates evangelizantes et curantes ubique. 7 Audivit autem
Herodes tetrarcha omnia quæ faciebant ab eo, et hæsitabat prop-
terea quod diceretur 8 a quibusdam Quia Iohannes a mortuis
resurrexit, a quibusdam autem Quia Helias apparuit, ab aliis
vero Quod propheta unus de antiquis resurrexit. 9 Dixit au-
tem Herodes Iohannem ego decollavi: quis est hic de quo audio
ego talia? Et quærebat videre eum. 10 Et reversi apostoli
enarraverunt ei quanta fecerunt: et assumptis illis secessit secreto
in locum desertum quod est Bethsaida. 11 Turbæ autem ubi
cognoverunt secutæ sunt eum et excepit eos, et loquebatur illis
de regno dei, et eos qui indigebant cura curabat. 12 Cum autem
coepisset declinare dies accesserunt discipuli eius XII et dixe-

runt ei Dimitte turbas, ut euntes in castella adiacencia reqiescant
aut inveniant quod manducent; hic in deserto loco sumus. 13 Ve-
rum ipse ait Date illis manducare. Cui dixerunt Non sunt enim
amplius quam quinque panes et duo pisces, nisi forte nos euntes
emamus in omnem hunc populum escas. 14 Erant enim quasi
quinque millia virorum. Dixit autem ad discipulos suos Facite dis-
cumbere illos per convivia quinquagenos. 15 Et ita fecerunt, et
discubuerunt omnes. 16 Acceptis igitur quinque panibus et
duobus piscibus respexit in cælum et benedixit eos et fregit, et
dedit discipulis suis ut ponerent turbis. 17 Et manducaverunt
et saturati sunt: et sublatum est quod superfuit eis, fra-
gmentorum cofini XII. 18 Et factum est cum esset sin-
gularis, erant cum eo discipuli: et interrogavit illos dicens Quem
me dicunt turbæ esse? 19 Illi respondentes dixerunt ei Iohan-
nem baptistam, alii autem Heliam, alii autem prophetam sur-
rexisse magnum. 20 Dixit autem illis Vos autem quem me dicitis
esse? Respondit Simon Petrus et dixit Christum dei. 21 Ipse
vero præcepit illis nemini dici hoc. 22 dicens Quoniam oportet
filium hominis multa pati et reprobari a senioribus et principibus
sacerdotum et scribis et interfici et post triduum resurgere.
23. Dicebat autem ad omnes Si quis vult post me venire, ab-
neget seipsum sibi et tollat crucem suam et sequatur me. 24 Qui-
cunque enim voluerit animam suam salvare, perdet illam: quicun-
que autem perdiderit animam suam propter me, salvabit illam.
25 Quid enim prodest homini lucrum facere totum mundum se-
metipsum autem perdere, aut damnum facere? 26 Quicunque enim
confusus fuerit me et meos sermones, hunc filius hominis confun-
det, cum venerit in gloriam suam et patris et sanctorum angelorum.
27 Dico autem vobis vere Sunt quidam hic stancium qui non gusta-
bunt mortem quoadusque videant regnum dei. 28 Factum est
autem post ista verba quasi dies octo, et assumpsit Petrum et
Iohannem et Iacobum et ascendit in montem orare. 29 Et in
orando facta est species vultus eius alia et vestitus candidus, fulgens.
30 Et ecce viri duo colloquebantur cum eo: erant autem Moyses
et Helias, 31 visi in claritate dicebant autem excessum eius quem
incipiebat implere in Ierusalem. 32 Petrus vero et qui cum eo
erant gravati erant somno: experti vero viderunt gloriam eius
et duos viros cum eo stabant. 33 Et factum est cum discessis-
sent ab eo dixit Petrus ad Iesum Præceptor, bonum est no-
bis hic esse, et faciamus tria tabernacula, unum tibi unum
Moysi et unum Heliæ, ignorans quid diceret. 34 Hæc autem
illo loquente facta est nubs et obumbravit illos: timuerunt au-
tem in eo cum illi introirent in nubem. 35 Et vox facta est
de nube Hic est filius meus dilectissimus, audite eum. 36 Et
dum fit vox, inventus est solus Iesus. Et ipsi tacuerunt et ne-
mini dixerunt in illis diebus quicquam ex his quæ viderant.

6 — Cod. Colb.

37 Factum est autem in sequenti die descendentibus illis de
monte occurrit ei turba magna. 38 Et ecce vir quidam de
turba exclamavit dicens Magister, oro te, aspice super filium
meum, quia unicus est mihi, 39 et ecce arripuit illum spiritus,
subito clamat et collidit et dissipat eum cum spuma, et vix dis-
cedit ab eo conterens illum. 40 Et rogavi discipulos tuos ut
eiicerent illum, et non potuerunt. 41 Respondens itaque Iesus
dixit O generacio incredula et perversa, quoadusque apud vos
ero et sustinebo vos? Adduc huc filium tuum. 42 Adhuc autem
accedente illo collisit illum dæmonium et dissipavit eum. 43 Et
increpavit Iesus spiritum, et sanavit puerum et reddidit illum
patri suo. 44 Omnes autem stupebant in magnitudine dei. Uni-
versis igitur mirantibus nunc quæ faciebat, dixit ei Petrus Domi-
ne propter quid nos non potuimus eicere illud? Quibus dixit
Quoniam huiusmodi oracionibus et ieiuniis eiicietur. Dicebat au-
tem ad discipulos suos Ponite vos in auribus vestris hæc Filius
enim hominis incipit tradi in manibus hominum. 45 Illi autem
ignorabant sermonem, et erat illis latens ut non sentirent illum,
et timebant interrogare eum de verbo isto. 46 Intravit autem
cogitacio in illos, quisnam esset maior illorum. 47 Iesus
itaque videns cogitaciones cordis illorum, apprehendens puerum
statuit illum iuxta se, 48 et dixit Quicunque receperit puerum
istum in nomine meo, me recipit et quicunque me receperit,
non me recipit sed eum qui me misit: qui enim minimus est
in omnibus, hic est maior. 49 Respondens autem Iohannes dixit
Præceptor, vidimus quendam in nomine tuo eiicientem dæmonia,
et vetavimus illum, quia non sequitur nobiscum. 50 Dixit autem
ad illos Iesus Nolite vetare: qui enim non est adversus vos, pro
vobis est; nemo est enim, qui non faciat virtutem in nomine meo.
51 Factum est autem cum supplerentur dies recepcionis eius et
ipse faciem confirmavit ad pergendum Ierusalem, 52 et præmisit
nuncios ante faciem suam: et abeuntes introierunt in castellum
Samaritanorum ad præparandum illi: 53 et non receperunt eum,
quoniam facies eius erat pergens Ierusalem. 54 Videntes igitur
discipuli eius Iacobus et Iohannes, dixerunt, Vis dicimus ignem
descendere de cælo super illos et consumere eos sicut fecit
Helias? 55 Conversus itaque corripuit illos et dixit Nescitis
quali spiritu sitis? 56 Filius enim hominis non venit animas
perdere sed salvas facere. 57 Et factum est illis ambulantibus
in viam dixit quidam ad eum Sequar te quocunque ieris.
58 Dixit illi Iesus Vulpes habent cubilia et volatilia cæli nidos,
filius autem hominis non habet ubi caput reclinet. 59 Dixit
autem ad alterum Sequere me. Qui ei dixit Domine, permitte
mihi primum ire et sepelire patrem meum. 60 Dixitque ergo
illi Iesus Sine mortui mortuos suos sepeliant: tu autem vadens
annuncia regnum dei. 61 Dixit autem ei alius Sequar te, do-

mine, primo autem permitte mihi renunciare eis qui domi
sunt. 62 Dixit autem ad illi Iesus Nemo retro attendens et su-
perponens manum suam super aratrum aptus est regno dei.
X. 1 Probavit autem et alios septuaginta duos, et præmi-
sit eos binos ante faciem suam in omnem locum et civitatem
quocunque venturus erat. 2 Dicebat autem illis Messis multa
est operarii autem pauci: rogate ergo dominum messis ut mittat
operarios ad messem suam. 3 Ite: ecce ego mitto vos quemad-
modum agnos in medio luporum. 4 Nolite portare sacculum non
peram non calciamenta, et neminem per via salutaveritis. 5
Quamqunque primam domum introieritis, primum dicite Pax do-
mui huic. Et si fuerit illic filius pacis, requiescet super eam
pax vestra: sin quominus, ad vos revertetur. 7 In ipsa domo
manete, manducantes et bibentes quæ ab eis sunt: dignus est
operarius mercede sua. Nolite transire de domo in domum.
8 Et in quamcunque civitatem introieritis et receperint vos,
manducate quæcunque vobis apponuntur, 9 et curate qui in illa
infirmantur, et dicite illis Appropinquavit super vos regnum dei.
10 In quamcunque autem civitatem introieritis et non receperint
vos, euntes in plateas eius dicite 11 Etiam pulverem qui nobis
adhæsit de civitate vestra in pedibus extergimus vobis: verum
hoc scitote quoniam appropinquavit regnum dei. 12 Dico vobis
quia Sodomis in die illa remissius erit quam illi civitati. 13 Væ
tibi Corazain, et Bethsaida: quia si in Tyro et Sidone factæ
essent virtutes quæ in vobis factæ sunt, olim in cilicio et cinere
sedentes pænitenciam egissent. 14 Verum tamen Tyro et Sidoni
tolerabilius erit in die iudicii quam vobis. 15 Et tu Caphar-
naum, usque in cælum exaltata, usque ad infernum demergeris.
16 Qui vos audit me audit, et qui vos spernit me spernit: et qui
me spernit, spernit eum qui me misit. 17 Reversi sunt
autem septuaginta duo cum gaudio dicentes Domine, et dæ-
monia subiecta sunt nobis in tuo nomine. 18 Dixit ergo illis
Videbam satanan quasi fulgur de cælo cecidisse. 19 Ecce do vo-
bis potestatem calcandi super serpentes et scorpiones, et super
omnem virtutem inimici et nichil vos nocebit. 20 Veruntamen
in hoc nolite gaudere quia spiritus vobis subiecti sunt, gaudete
autem quoniam nomina vestra scripta sunt in cælo. 21 In illa
hora exsultavit Iesus in spiritu sancto et dixit Confiteor tibi do-
mine, pater cæli et terræ, quoniam abscondisti hæc a sapientibus
et prudentibus, et revelasti ea parvulis: etiam pater, quoniam
sic placitum factum est coram te. 22 Et conversus ad disci-
pulos suos dixit: Omnia mihi tradita sunt a patre: et nemo
cognoscit quis est filius, nisi pater, et quis est pater, nisi filius
et cuicunque voluerit filius revelare. 23 Et conversus ad dis-
cipulos suos dixit Beati oculi qui vident quæ videtis et aures
quæ audiunt: 24 dico enim vobis quia multi prophetæ et reges

voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt, et audire quæ
auditis, et non audierunt. 25 Et hæc eo dicente ecce surrexit
quidam legis doctor temptans eum et dicens Magister, quid faci-
ens vitam æternam consequar? 26 Ipse itaque dixit ad illum In
lege quid scriptum est? quomodo legis? 27 Et ille respondens
dixit illi Diliges dominum deum tuum in toto corde tuo et ex
tota anima tua et in omni fortitudine tua et diliges proximum
tuum tamquam teipsum. 28 Dixit illi itaque Iesus Recte
respondisti: hoc fac, et vives. 29 Ille autem volens se iusti-
ficare dixit ad Iesum Quis est mihi proximus? 30 Suscipiens au-
tem Iesus dixit Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho,
et incidit in latrones, qui spoliatum illum, et plagis impositis
abiecerunt semivum dimittentes eum. 31 Quidam sacerdos descen-
debat illam viam, et videns illum præterivit. 32 Similiter et Le-
vita, cum venisset ad eundem locum et videret præterivit eum.
33 Samaritanus vero quidam iter agens venit secus illum, et
cum vidisset misertus est ei, 34 et accessit et alligavit vulnera
eius infundens oleum et vinum, et impositum eum super iu-
mentum suum ducebat ad stabulum et curam eius habuit: 35 et
altera die proferens denarios duos et dedit stabulario et dixit Curam
eius habe, et quodcunque supererogaveris in redeundo ego tibi
reddam. 36 Quis ergo horum trium videtur tibi proximus fuisse
illi qui in latrones inciderat? 37 Ille autem dixit Qui misertus
est eius. Cui dixit Iesus Vade et tu fac similiter et vives.
38 Factum est autem euntibus eis, et ipse introivit in quoddam
castellum, mulier autem quædam nomine Martha excepit eum
in domum suam. 39 Et huic soror erat quod vocabatur
Maria, hæc sedens ad pedes domini audiebat verbum eius;
40 Martha autem vocabatur circa multum ministerium et assi-
stans ait Domine, non ad te pertinet quia soror mea relinquit me
solam ministrare? dic ergo illi ut me adiuvet. 41 Respondens
autem dixit illi Iesus Martha, Martha, sollicita es et contur-
baris erga plurima; 42 Maria optimam partem elegit, quæ non
auferetur ab ea.

XI. 1 Et factum est cum esset Iesus in loco quodam
orans, et ut quievit, dixit unus ex discipulis eius ad eum Domine,
doce nos orare, sicut Iohannes docuit discipulos suos. 2 Dixit
ergo illis Cum oratis, dicite Pater sancte qui in cælis es
sanctificetur nomen tuum: adveniat regnum tuum Fiat voluntas
tua sicut in cælo et in terra: 3 panem nostrum cotidianum da no-
bis hodie 4 et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimit-
timus debitoribus nostris: et ne inducas nos in temptacio-
nem. Sed libera nos a malo. 5 Et ait Iesus Quis ex vobis
habebit amicum, et vadet ad illum media nocte et dicet ad illum
Amice, commoda mihi tres panes, 6 quoniam amicus mihi ad-
venit de via ad me et non habeo quod illi opponam; 7 et ille

deintus respondeat Noli mihi molestus esse: iam ostium clausum
est, et pueri mecum in strato suut non possum surgere et dare tibi.
8 At ille si perseveraverit pulsans, dico vobis, etsi non dabit
illi surgens propter amiciciam veruntamen propter importuni-
tatem eius surget et dabit illi quotquot habet necessarios. 9 Et
ego vobis dico Petite, et dabitur vobis: quærite, et invenietis:
pulsate, et aperietur vobis. 10 Omnis enim qui petit accipit, et
qui quærit invenit, et pulsanti aperietur. 11 Quis autem ex
vobis patrem petet panem, nunquid lapidem dabit illi? aut petie-
rit filius tuus piscem, nunquid pro pisce serpentem illi porrigis?
12 aut si ovum petierit, nunquid scorpionem tradis? 13 Si ergo
vos, cum sitis mali, scitis bona data dare filiis vestris, quanto
magis pater vester de cælo dabit bonum datum petentibus se?
14 Hæc cum dixisset offerunt illi unum dæmoniacum surdum
et mutum; et erat dum eiiciebat dæmonium idipsum fuit mutum:
et cum eiecisset dæmonium mutum locutus est mutus, et omnes
turbæ mirabantur. 15 Et quidam ex his dicebant In Beelzebub
principe dæmoniorum eiicit dæmonia: 16 alii autem temptantes
signum de cælo quærebant ab eo. 17 Ipse itaque videns cogi-
taciones eorum, dixit ad illos Omne regnum in se divisum deso-
labitur, et domus super domum cadit. 18 Et satanas si in se
ipsum divisus est, quomodo stabit regnum eius? quia dicitis in
Beelzebub principe eiicere dæmonia. 19 Si vero ego in Beelzebub
eiicio dæmonia, filii vestri in quo eiiciunt? propterea ipsi vobis
iudices erunt. 20 Si autem in digito dei eiicio dæmonia, pro-
fecto pervenit super vos regnum dei. 21 Quando fortis armatus
fuerit custodire regiam suam, in pace sunt facultates eius:
22 si autem fortior illo aliquis superveniens vicerit illum, omnia
arma eius auferet in quibus confidebat, et spolia eius distribuet.
23 Qui non est mecum adversum me est, et qui non colligit me-
cum dispergit. 24 Cum immundus spiritus exierit ab homine,
perambulat per loca arida quærens requiem, et cum non inveni-
erit dicit Revertar in domum meam unde exivi. 25 Et veniens
invenit scopis mundatam et compositam: 26 tunc vadit et assumit
ille nequam alios septem nequiores spiritus, et introeuntes inha-
bitant ibi, et sunt novissima hominis illius peiora prioribus.
27 Factum est autem cum ista diceret, mulier quædam de turba
levavit vocem et dixit ei Beatus venter qui te portavit, et
ubera quæ suxisti. 28 Ipse vero dixit ei Imo beati qui au-
diunt verbum dei et custodiunt. 29 Turbis autem congregatis
coepit dicere: Progenies ista progenies nequam est et signum
quærit, et signum non dabitur illi nisi signum Ionæ, 30 Sicut
enim fuit Ionas signum Ninivitis, sic erit et filius hominis in ge-
neracione hac. 31 Regina austri surget in iudicio cum viris
generacionis huius et damnabit illos, quia venit a finibus terræ
audire sapienciam Salomonis: et ecce plus hic quam Salomonem.

32 Viri Ninivitæ resurgent in iudicio cum ista progenie et
damnabit illam, quia pænituit eos in prædicacione Ionæ:
et ecce plus hic quam Ionam. 33 Nemo lucernam accensam
in absconso ponit neque sub modium, sed supra candelabrum, ut
introeuntes lumen videant. 34 Lucerna corporis tui est oculus
tuus: si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lu-
cidum est; si autem nequam fuerit, corpus tuum tenebrosum
erit. 35 Vide ergo ne lumen quod in te est tenebræ sint.
36 Si corpus tuum totum lucidem fuerit, non habens aliquam
partem tenebrarum, erit lucidum totum et sicut lucerna fulgoris
illuminabit te. 37 Et cum loqueretur hæc, rogavit eum Phari-
sæus quidam ut pranderet apud eum: et ingressus recubuit.
38 Pharisæus vero coepit secum disputans dicere Quare non
primo baptizatus est ante prandium. 39 Dixit autem dominus
ad illum Nunc vos Pharisæi prius quod est foris calicis et catini
mundatis, quod autem intra vos est plenum est rapinæ et malig-
nitatis. 40 Insipientes, nonne qui fecit quod intus est fecit et
quod foris est? 41 Veruntamen quod superest date elemosynam,
et ecce vobis munda sunt omnia. 42 Sed væ vobis Pharisæi,
qui decimatis mentham et rutam et omne olus, et præteritis
iudicium et charitatem dei: hæc autem oportuit facere, et illa
non omittere. 43 Væ vobis Pharisæi, qui diligitis primas ca-
thedras in synagogis et salutaciones in foro. 44 Væ vobis,
quoniam estis monumenta incerta et homines ambulantes supra
nesciunt. 45 Respondens itaque quidam ex legis peritis ait illi
Magister, hæc dicens etiam nobis contumeliam facis. 46 At
ille ait Et vobis legis peritis væ quoniam honeratis homines hone-
ribus gravibus, et ipsi uno digito non tangitis sarcinas. 47 Væ
vobis, quia ædificatis monumenta prophetarum, patres autem
vestri occiderunt illos. 48 Profecto testificamini consentire ope-
ribus patrum vestrorum, quoniam quidem ipsi eos occiderunt,
vos autem ædificatis eorum sepulchra. 49 Propter hoc et sa-
piencia dei dicit Mittam ad vos prophetas et apostolos, et ipsos
occidetis et persequimini, 50 ut exquiratur sanguis omnium pro-
phetarum qui effusus est a constitucione mundi usque ad proge-
niem istam, 51 a sanguine Abel iusti usque ad sanguinem Za-
chariæ, qui periit inter altare et ædem: ita dico vobis inquiretur
ab progenie hac. 52 Væ vobis legis doctoribus, quoniam abscon-
distis clavem scienciæ: et ipsi non introitis, et introeuntes prohi-
betis. 53 Cum hæc autem diceret ad eos in conspectu tocius
populi coeperunt Pharisæi et legis doctores graviter habere et
conferre cum eo de pluribus, 54 quærentes occacionem aliquam
invenire ut accusarent eum.

XII. 1 Multis autem turbis circumstantibus ad eum, ita
ut se invicem conculcarent, coepit dicens ad discipulos suos Pri-
mum cavete vobis a fermento Pharisæorum, quæ est simulacio.

2 Nichil autem absconditum est quod non reveletur et occultum
quod non cognoscatur: 3 homo qui in tenebris locutus est in luce
audietur et quod in aure locuti estis aut in cubiculis, prædicabi-
tur super tecta et in plateis. 4 Dico autem vobis amicis meis,
Ne terreamini ab his qui occidunt corpus et post hæc non ha-
bent amplius quid faciant. 5 Ostendam autem vobis quem ti-
meatis: timete eum qui postquam occidit habet potestatem mit-
tere in gehennam: dico vobis, hunc timete. 6 Nonne quinque
passeres veneunt dipondio? et unus ex illis non est in oblivione
coram domino. 7 Sed et capilli capitis vestri omnes numerati
sunt. Nolite itaque timere: multis passeribus pluris estis. 8 Dico au-
tem vobis, Omnis quicunque confessus fuerit me coram hominibus,
et filius hominis confitebitur eum coram angelis dei: 9 qui autem
me negaverit coram hominibus, abnegabitur coram angelis dei.
10 Et omnis quicunque dixerit verbum in filium hominis, remit-
tetur illi: Si quis autem in spiritu sancto dixerit non remittetur
illi neque in hoc sæculo neque in futuro. 11 Cum autem per-
ducent vos ad synagogas et ad principes et ad potestates, ne
cogitaveritis quemodmodum vos excusetis aut quid loquamini:
12 spiritus enim sanctus docebit vos in illa hora quæ oporteat
dici. 13 Dixit autem illi quidam de turba Magister, dic fratri
meo ut dividat mecum hæreditatem. 14 Ipse vero dixit ei Ho-
mo, quis me constituit iudicem super vos? 15 Videte et cavete
ab omni cupiditate: quia non in obaudiencia substanciæ alicui
est vita sua ex his quæ possidet. 16 Ait autem parabolam ad
illos dicens Hominis cuiusdam divitis uberes fructus ager attulit:
17 et cogitavit secum dicens Quid faciam, quia non habeo quo
recondam fructus meos? 18 Et dixit Hoc faciam: destruam hor-
rea mea et maiora faciam, et ibi congregabo omnes fructus meos
19 et dicam animæ meæ, habes multa bona, iocundare. 20 Dixit
autem illi deus Stulte, hac nocte expostulatur anima tua: quæ
ergo parasti, cuius erunt? 21 Sic et qui sibi thesaurizat et
non est in deum dives. 22 Dixit autem ad discipulos Pro-
pter hoc vobis dico Ne cogitaveritis animæ quid edatis neque
corpori quid vestiamini: 23 anima enim plus est cibo et
corpus vestitu. 24 Considerate corvos, quia non seminant
neque metunt, quibus non est cellarium neque horreum, et
deus pascit illos: nonne vos pluris estis volucribus. 25 Quis
autem vestrum potest cogitando addere ad staturam suam cubi-
tum unum? 26 Et de ceteris quid solliciti estis? Considerate
lilia agri quomodo crescunt: non nent neque texunt: dico autem
vobis quia nec Salomon in tota gloria sua sic amictus est quo-
modo unum ex his. 28 Si autem fenum, quod hodie in
agro est et cras in clibanum mittitur, deus sic vestit, quanto
magis vos, modicæ fidei. 29 Et vos ne quæsieritis quid edatis
aut quid bibatis, nec solliciti sitis: 30 hæc enim omnia gentes

mundi quærunt, scit enim pater vester quia indigetis his.
31 Verumtamen quærite regnum eius, et hæc omnia adiicientur
vobis. 32 Nolite metuere modice grex: quoniam complacuit patri
vestro dare vobis regnum. 33 Vendite quæ possidetis facultates
vestras et date clemosyam: facite vobis sacculos non veterascen-
tes, thesaurum non deficientem in cælis, quo non fur accedit
neque tinea corrumpit. 34 Ubi enim est thesaurus vester, illic
cor vestrum erit. 35 Sint lumbi vestri accincti et lucernæ ar-
dentes in manibus vestris, 36 et vos similes hominibus expectan-
tibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis, et cum
venerit et pulsaverit continuo aperiatur ei. 37. Beati servi
illi, quos veniens dominus invenerit vigilantes: amen dico vobis
quoniam præcinget se et discumbere eos faciet et transiens ministra-
bit illis. 38 Et si venerit vespertina vigilia et invenerit sic fa-
cientes et si in secunda et si in tercia, beati sunt servi illi.
Illud autem scitote, quia si sciret pater familias qua hora venit
fur vigilaret et non pateretur fodiri domum suam. 40 Et vos
estote parati, quia quacunque hora non putatis et die qua non
speratis filius hominis venit. 41 Dixit autem Petrus Domine,
ad nos dicis parabolam istam an etiam ad omnes? 42 Dixit
autem dominus Quisnam est servus fidelis dispensator sapiens et
bonus, quem constituit dominus supra familiam suam, dare illis
frumentum tempore tritici mensuram? 43 Beatus servus ille, quem
veniens dominus invenerit sic facientem: 44 amen dico vobis quia
super omnia quæ sunt ei constituet illum. 45 Si autem dixerit
servus ille in corde suo Tardat dominus meus venire, et incipiet
percutere pueros et puellas, et manducare et bibere et inebriari,
46 veniet dominus servi eius in die qua non sperat et hora qua
nescit, et bifariam illum dividet partemque eius cum infidelibus ponet.
47 Ille autem servus qui cognovit voluntatem domini sui et non
paruit voluntati eius vapulabit multis; 48 qui autem nesciens
fecerit digna plagis, vapulabit paucis. Omni autem cui multum
datum est, multum quæretur ab eo; et cui multum commendaverunt,
multum plus petunt ab eo. 49 Ignem veni mittere in terram, et quid
volo nisi accendatur. 50 Baptisma habeo baptizari, et quomodo
coarctor usque dum perficiatur. 51 Putatis quia pacem veni
dare in terram? non dico vobis sed separaciones fient. 52 Nunc
amodo in una domo quinque, tres in duabus et duo in tribus.
53 dividentur pater super filium et filius super patrem suum
dividetur, mater super filiam et filia super matrem, socrus super
nurum suam et nurus super socrum suam. 54 Dicebat autem
et turbis Cum videritis nubem oriri ab occidente continuo dicitis
Imber venit, et ita fit: 55 et cum austrum flantem, dicitis Quia
æstus erit et ita fit. 56 Hypocritæ, simulatores, faciem cæli et
terræ scitis probare, verum tempus illud non probatis? 57 Quid
autem et a vobis ipsis non iudicatis quod iustum est? 58 Dum enim

vadis cum adversario tuo ad magistratum in via da operam libe-
rari ab illo, ne forte tradat te apud iudicem et iudex tradat te
exactori et exactor mittat te in carcerem. 59 Dico tibi, non
exies inde donec etiam reddas novissimum quadrantem.
XIII. 1 Venerunt autem in ipso tempore quidam nunciantes
illi de Galilæis quorum sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificiis
eorum. 2 Et respondens Iesus dixit illis Putatis quod hi Gali-
læi præ omnibus Galilæis fuerunt peccatores? 3 Non dico vobis,
nisi pænitenciam habueritis, omnes similiter peribitis. 4 Si-
cut illi XVIII supra quos cecidit turris in Siloam et occi-
dit eos, putatis quod et ipsi debitores fuerunt præter omnes
homines habitantes in Ierusalem? 5 Non dico vobis si non pæni-
tueritis similiter peribitis omnes. 6 Dicebat autem hanc similitu-
dinem Arborem fici habuit quidam plantatam in vineam suam,
et venit fructum quærens in illam et non invenit. 7 Dixit au-
tem ad cultorem vineæ Ecce anni tres sunt ex quo veni quæ-
rens fructum in ficulnea hac et non invenio: succide ergo illam:
ut quid etiam terram occupat? 8 At ille respondens dixit ei
Domine, remitte illam et hoc anno, usque dum fodiam circa illam
et mittam ei cofinum stercoris; 9 ut si quidem fecerit fructum:
sin autem, in futurum succides eam. 10 Erat autem docens in
synagoga eorum sabbatis. 11 Et ecce mulier quæ habuit spiri-
tum infirmitatis annis XVIII, et erat inclinata, nec omnino
poterat sursum respicere. 12 Quam cum vidisset Iesus, vo-
cavit ad se et ait illi Mulier, dimissa es ab infirmitate tua,
13 Et imposuit illi manum: et confestim erecta est, et magnificavit
deum. 14 Respondens autem archisynagogus, indignatus est quod
sabbato curaret Iesus, dicebat autem turbis Sex dies sunt in
quibus oportet operari: in his ergo venite et curamini, et non in
die sabbati. 15 Respondens autem ad illum dominus dixit Hy-
pocritæ, unusquisque vestrum sabbato non solvit bovem suum aut
asinum a præsepio et ducit adaquare? 16 Hanc autem filiam
Abrabæ, quam alligavit satanas X et VIII annis, non opor-
tuit solvi a vinculo isto die sabbati? 17 Et cum hæc di-
ceret, erubescebant omnes adversarii eius, et omnis populus gau-
debat in præclaris quæ viderant fieri ab eo. 18 Dicebat autem
Cui simile est regnum dei, et cui simile illud æstimabo?
19 Simile est regnum dei grano sinapis, quod acceptum homo
misit in ortum suum, et crevit et facta est arbor magna, et
volucres cæli requieverunt in ramis eius. 20 Et iterum dixit Cui
simile æstimabo regnum dei? 21 Simile est fermento, quod ac-
ceptum mulier abscondit in farinam donec fermentatum est totum.
22 Et ibat per civitates et castella docens et iter faciens in
Ierusalem. 23 Ait illi quidam Domine, si pauci sunt qui salvi
fiunt? Ipse autem dixit ad illos. 24 Contendite intrare per
angustam portam: quia dico vobis, multi quærunt intrare et

non potuerunt. 25 Cum autem intraverit pater familias et clauserit hostium suum et incipietis foris stare et pulsare hostium dicentes Domine, aperi nobis: et respondens dicet vobis Nescio unde sitis. 26 Tunc incipietis dicere Manducavimus coram te et bibimus, et in plateis nostris docuisti et in synagogis. 27 Et dicet vobis Nescio vos unde estis: recedite a me omnes operarii iniquitatis. 28 Ibi erit fletus et stridor dencium, cum videritis Abraham et Ysahac et Iacob et omnes prophetas introeuntes in regnum dei, vos autem expelli foras. 29 Et venient ab oriente et occidente et aquilone et austro, et recumbent in regno dei. 30 Et ecce sunt novissimi qui erunt primi, et sunt primi qui erunt novissimi. 31 In ipsa die accesserunt quidam Pharisæorum dicentes illi Exi et vade hinc, quia Herodes vult te occidere. 32 Et ait illis Iesus Ite dicite vulpi illi Ecce ego eiicio dæmonia et sanitates perficio hodie et cras, et sequenti die consummor. 33 Vadite quia non capit prophetam perire extra Ierusalem. 34 Ierusalem Ierusalem, quæ occidis prophetas et lapidas eos qui mittuntur ad te, quotiens volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina pullos suos sub alas suas et noluisti. 35 Ecce relinquetur vobis domus vestra deserto. Dico vobis non me videbitis donec veniam et dicatis Benedictus qui venit in nomine domini.

XIV. 1 Et factum est ut intraret in domum cuiusdam principis Pharisæorum sabbato manducare panem, et ipsi observabant eum. 2 Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum. 3 Et respondens Iesus dixit ad legis peritos et ad Pharisæos dicens Si licet sabbato curare? 4 At illi tacuerunt: ipse vero apprehensum eum sanavit et dimisit illum. 5 Et dixit ad illos Cuius vestrum asinus aut bos in puteum cadet, et non continuo extrahet die sabbati? 6 Et non poterant ad hæc respondere illi. 7 Dicebat autem ad invitatos parabolam, intendens quomodo primos accubitus eligebant, dicens ad illos. 8 Cum invitatus quis fuerit ad nupcias, non discumbas in primo loco ne forte honoracior te sit vocatus, 9 et veniat qui te et illum vocavit et dicat tibi Da huic locum, et incipias cum rubore novissimum locum tenere. 10 Sed cum vocatus fueris, vade recumbe in novissimo loco, ut cum venerit qui te invitavit dicat tibi Amice, accede superius: tunc erit tibi gloria coram cum simul discumbentibus: 11 quia omnis qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur. 12 Dicebat autem et invitatori Cum facis prandium aut cænam, noli vocare amicos tuos nec fratres tuos neque cognatos neque vicinos neque divites, ne forte et ipsi te invitent et fiat tibi retribucio. 13 Sed cum facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos, cæcos, 14 et beatus eris, quoniam non habent unum retribuere tibi: retribuetur autem tibi in resurreccione iustorum. 15 Hæc cum audissent quidam de simul

discumbentibus, dixerunt illi Beatus qui manducabit panem in
regno dei. 16 At ipse ait eis Homo quidam fecit cænam ma-
gnam et vocavit multos, 17 et misit servum suum hora cænæ
ut diceret invitatis: Venite iam paratum est. 18 Et coeperunt
omnes simul excusare. Et primus dixit Villam emi et necesse
habeo exire et videre illam: rogo te, habe me excusatum. 19 Et
alter dixit Iuga boum emi quinque et eo probare illa: et ideo
venire non possum. 20 Et alius dixit Uxorem duxi et ideo
non possūm venire. 21 Et reversus servus nunciavit domino suo.
Tunc iratus pater familias dixit servo suo- Exi cito in plateis et
vicis civitatis, pauperes ac debiles et cæcos et claudos intro-
duc huc. 22 Et ait servus, Factum est sicut imperasti, et adhuc
locus est. 23 Et ait dominus servo Exi in vias et circa sepes
et compelle intrare, ut impleatur domus mea: 24 dico autem
vobis quod nemo virorum illorum qui vocati sunt gustabunt cæ-
nam meam. 25 Ibant autem cum illo turbæ, et conversus
dixit ad illos 26 Si quis venit ad me et non odit patrem suum
et matrem et uxorem et filios et fratres et sorores, adhuc autem
et animam suam, non potest meus discipulus esse. 27 Et qui
non tollit crucem suam et venit post me, non potest meus esse
discipulus. 28 Quis enim ex vobis volens turrem ædificare non
prius sedens computat sumptus qui necessarii sunt, si habet ad
consūmandum? 29 ne postea quam posuerit fundamentum et
non potuerit explicare, omnes qui vident 30 dicant Hic homo
coepit ædificare, et non potuit consummare. 31 Aut quis rex
iturus committere bellum adversus aliam regem et non sedens
prius cogitat si potuerit cum decem milibus obviare ei qui cum
viginti milibus venit adversus se? 32 Alioquin adhuc illo longe
agente legacionem mittet rogans pacem. 33 Quis ergo ex vo-
bis qui non renunciat omnibus quæ possidet non -potest meus
discipulus esse. 34 Bonum est sal sed si sal quoque eva-
nuerit, in quo condietur? 35 Neque in terra neque in ster-
quilinio utile est, sed foris mittitur. Qui habet aures audiendi
audiat.

XV. 1 Erant autem appliciti illi publicani et peccatores ut
audirent illum. 2 Et murmurabant Pharisæi et scribæ dicentes
Quod hic peccatores reciperet et manducaret cum illis. 3 Et ait
ad illos Iesus similitudinem hanc, dicens 4 Quis ex vobis homo
habet centum oves, et erraverit una ex illis, nonne dimittet no-
naginta novem montibus in deserto et ibit ad illam quæ
erraverit, donec inveniat eam? 5 Et cum invenerit, ponet super
humeros suos gaudens, 6 et veniens domum convocat amicos et
vicinos dicens illis Congratulamini mecum, quia inventa est ovis
mea quæ perierat. 7 Dico vobis quod ita gaudium erit in cælo
super uno peccatore pænitenciam agente quam nonaginta novem
iustos qui non indigent pænitencia. 8 Aut quæ mulier

habens dragmas decem, si perdiderit unam, non accendet lu-
cernam et scopis mundat domum et quærit diligenter, donec
inveniat eam? 9 Et cum invenerit eam, convocat amicas et vi-
cinas dicens Congratulamini mihi, quod inveni dragmam quam
perdideram. 10 Ita dico vobis sic gaudium erit coram angelis
dei in peccatore uno pænitenciam agente. 11 Ait autem Homo
quidam habuit duos filios. 12 Et dixit illi iunior Pater, da
mihi porcionem substanciæ quæ me contingit. Et divisit illis
substanciam. 13 Et non post multos dies congregatis omnibus
iunior filius peregre profectus est in regionem longinquam, et ibi
finivit substanciam suam vivendo luxuriose. 14 Et postquam
omnia consumpsit, facta est fames valida per regionem illam et
coepit et ille egere: 15 et abiit et adhæsit uni civium regionis
illius, et hic misit illum in villam suam ut pasceret porcos.
16 Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis quas porci
manducabant; et nemo illi dabat. 17 Ipse autem reversus dixit
Quantis panibus mercenarii patris mei abundant ego, hic fame
pereo. 18 Surgam et ibo ad patrem meum et dicam illi Pater
peccavi in cælum et coram te, 19 iam non sum dignus vocari
filius tuus: fac me sicut unum mercennariorum tuorum. 20 Et
surgens venit ad patrem suum. Cum autem adhuc longe esset,
vidit illum pater ipsius et misericordia motus est, et accurrens
cecidit super collum eius et osculatus est illum. 21 Dixitque
illi filius Pater, peccavi in cælum et coram te, iam non sum
dignus vocari filius tuus. 22 Dixit autem pater eius ad servos
suos Cito proferte stolam illam primam et induite illum, et date
anulum in manum eius et calciamenta in pedibus 23 et adducite vi-
tulum illum saginatum et occidite, et manducemus et epulemur,
24 quia hic filius meus mortuus erat et revixit, perierat et
inventus est. Et coeperunt epulari. 25 Erat autem filius eius
senior in agro: et cum veniret et appropiaret domui, audivit
symphoniam et chorum, 26 et vocavit unum de servis et inter-
rogavit quæ hæc essent. 27 Isque dixit illi Frater tuus venit
et occidit pater tuus vitulum saginatum, quia salvum illum rece-
pit. 28 Indignatus est autem et noluit intrare. Pater vero
illius egressus coepit illum rogare. 29 At ille respondens dixit
patri suo Ecce quot annis servio tibi et nunquam præterivi man-
datum tuum, et nunquam dedisti mihi hædum ut cum amicis
meis epularer: 30 sed postquam filius hic tuus qui devoravit
substanciam tuam cum meretricibus venit, et occidisti illi vitulum
saginatum. 31 At ipse dixit illi Fili, tu mecum fuisti et eris
et omnia mea tua sunt: 32 epulari autem oportet et gaudere,
quod frater tuus mortuus erat et revixit, perierat et inven-
tus est.

XVI. 1 Dicebat autem et ad discipulos suos Homo quidam
erat dives qui habebat villicum, et hic diffamatus erat apud illum

quod dispargeret bona eius. 2 Et accersitus est domino suo et
ait illi Quid hoc audio de te? redde racionem villicacionis tuæ:
iam enim non poteris villicare. 3 Ait autem vilicus intra se Quid
faciam, quia dominus meus auferet a me villicacionem? fodere
non valeo, mendicare erubesco. 4 Cognitavi quid faciam, ut cum
amotus fuero a villicacione recipiant me in domos suas. 5 Con-
vocatis itaque singulis debitoribus domini sui dicebat primo
Quantum debes domino meo? 6 At ille dixit Centum vasos olei.
Dixitque illi Accipe literas tuas et sede cito scribe quinquaginta.
7 Deinde alio dixit Tu quantum debes domino meo? Ait Centum
coros tritici. At illi Accipe litteras tuas et sede scribe octoginta.
8 Et laudavit dominus villicum iniquitatis, quod prudenter fecit:
dixit autem ad discipulos suos: Filii huius sæculi prudenciores sunt
quam filii lucis in hac generacione. 9 Et ego dico vobis, facite vobis
amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis recipiant vos
in æterna tabernacula. 10 Qui fidelis est in minimo, et in
maius fidelis est, et qui in modico iniquus est, et in maius ini-
quus est. 11 Si ergo in iniquo mammona fideles non fuistis, quod
verum est quis credet vobis? 12 Et si in alieno fideles non
fuistis quod vestrum est quis dabit vobis? 13 Nemo servus po-
test duobus dominis servire: aut enim unum odiet et alterum
diligit, aut uni adhærebit et alterum contemnit: non potestis
deo servire et mammonæ. 14 Audiebant autem hæc omnia Pha-
risæi, qui erant avari, et deridebant illum. 15 Et ait illis Vos
estis qui iustificatis vos coram hominibus, deus autem novit
corda vestra: quia quod hominibus altum est, abhominacio est ante
deum. 16 Lex et prophetæ usque ad Iohannem: ex eo regnum
dei evangelizatur et omnes in illum vim faciunt. 17 Facilius est
autem cælum et terram præterire quam de lege cadere unum
apicem. 18 Omnis qui dimittit uxorem suam et ducit alteram
moechatur, et qui dimissam a viro ducit moechatur. 19 Homo
autem quidam dives, induebatur purpura et bysso, et epulabatur
cotidie splendide: 20 et erat quidam mendicus nomine Eleaza-
rus, qui iacebat ad ianuam eius ulceribus plenus, 21 cupiens
saturari ex his quæ cadebant de mensa divitis; sed et canes ve-
niebant et lingebant vulnera eius. 22 Factum est autem ut mo-
reretur Eleazarus mendicus et portaretur ab angelis in sinus
Abrahæ: mortuus est autem et dives et sepultus est in inferno.
23 Elevans autem oculos suos, cum esset in tormentis, videbat
Abraham a longe et Eleazarum in sinu eius requiescentem, 24 et
ipse clamans dixit Pater Abraham, miserere mihi et mitte Elea-
zarum ut intingat extremum digiti sui in aqua ut refrigeret lin-
guam meam, quia crucior in hac flamma. 25 Et dixit illi Abra-
ham. Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua et Eleazarus
similiter mala: nunc autem hic consolatur, tuo vero cruciaris.
26 Et in his omnibus inter nos et vos chaos magnum firmatum

est, ut hi qui volunt transire ad vos non possint, neque
inde huc transmeare. 27 Et ait Rogo ergo te, pater, ut mittas
in domum patris mei, 28 habeo enim quinque fratres, ut teste-
tur illis ne et ipsi veniant in hunc locum tormentorum. 29 Et
ait illi Abraham Habent Moysen et prophetas, audiant illos.
30 At ille dixit Non, pater Abraham, sed si quis ex mortuis
resurrexerit, persuadebit eis. 31 Ait autem illi Moysen et
prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis ad illos abierit
credent ei.

XVII. 1 Et ad discipulos suos ait Impossibile est ut non
veniant scandala, veruntamen væ illi per quem veniunt: 2 uti-
lius est autem illi ne nasceretur aut si lapis molæ imponatur
circa collum eius et proiiciatur in mare, quam ut scandalizet
unum de pusillis istis. 3 Attendite vobis. Si peccaverit in te
frater tuus, increpa illum, et si pænitenciam habuerit, dimitte
illi: 4 et si septies in die peccaverit in te et septies conversus
fuerit ad te dicens Pænitet me, dimitte illi. 5 Et dixerunt
apostoli Domine adauge nobis fidem. 6 Et dixit illis Si habe-
retis fidem tanquam granum sinapis, diceretis huic arbori Era-
dicare et transplantare in mare, utique obaudisset vobis, 7 Quis
autem vestrum habens servum arantem aut oves pascentem, qui
regressus de agro dicit illi Statim transi recumbe? 8 Sed dicet
illi Para quod cænem, et præcinge te et ministra mihi donec
manducem et bibam, et post hæc tu manducabis et bibes?
9 Nunquid graciam habet et servo, quod fecit quæ sibi im-
peraverat? 10 Non puto. Sic et vos, cum feceritis omnia quæ
præcepta sunt, dicitis sunt Servi inutiles sumus: quod debuimus facere
fecimus. 11 Et factum est dum vadit in Ierusalem, transibat per
mediam Samariam et Galilæam et Iericho. 12 Et ingressus est quod-
dam castellum, et ecce decem viri leprosi steterunt a longe,
13 et levaverunt vocem dicentes Iesu præceptor, miserere nobis.
14 Quos ut vidit, dixit illis Ite ostendite vos sacerdoti. Et
factum est dum vadunt, mundati sunt. 15 Unus autem ut vidit
quia sanatus est, regressus et cum magna voce magnificans deum,
16 et cecidit in faciem suam ante pedes eius gracias agens: et
hic erat Samaritanus. 17 Respondens autem Iesus dixit Hi decem
mundati sunt? novem ubi sunt? 18 Ex illis non erat qui redi-
ret et gracias ageret deo nisi hic alienigena? 19 Ex ait illi
Surge et vade, quia fides tua te salvum fecit. 20 Interrogatus
autem a Pharisæis Quando venit regnum dei. Ait illis Non venit
regnum dei cum observacione, 21 neque dicent Ecce hic, aut
ecce illic: ecce enim regnum dei intra vos est. 22 Et ait ad
discipulos suos Veniunt dies ut desideretis videre unum diem filii
hominis, et non videbitis. 23 Et dicent vobis Ecce hic aut
ecce illic: nolite ire, neque sectemini. 24 Nam sicut fulgur
coruscans de sub cælo, ita erit adventus filii hominis.

25 Primum autem oportet illum multa pati et reprobari a gene-
racione hac. 26 Et sicut factum est in diebus Noe, ita erit et
in diebus filii hominis: 27 Edebant et bibebant, uxores ducebant
et nubebant usque in diem qua intravit Noe in arca, et venit
diluvium et perdidit omnes. 28 Similiter factum est in
diebus Lot: Edebant et bibebant, emebant et vendebant, planta-
bant et ædificabant: 29 qua die autem exiit Lot a Sodomis,
pluit ignem et sulphur de cælo deus et omnes perdidit. 30 Se-
cundum hæc erit in die filii hominis qua revelabitur. 31 In illa
hora qui fuerit in tecto et vasa eius in domo, ne descendat tol-
lere illa, et qui in agro similiter non redeat retro. 32 Memores
estote uxoris Lot. 33 Qui autem quæsierit animam suam libe-
rare, perdet illam, et quicunque perdiderit illam propter me sal-
vam faciat illam. 34 Dico vobis, in illa nocte erunt duo in lecto
unus assumetur et unus relinquetur: 35 duæ molentes in unum,
una assumetur et una relinquetur, duo in agro, unus assumetur
et unus relinquetur: 36 Respondentes illi dixerunt Ubi, domine?
37 Quibus ipse dixit Ubicunque fuerit corpus, illic congregabun-
tur aquilæ.

XVIII. 1 Dicebat autem parabolam ad illos, quoniam
oportet semper orare et non deficere, 2 dicens Iudex quidam
erat in quadam civitate, qui deum non timebat et hominem non
reverebatur. 3 Vidua autem quædam erat in civitate et
coepit ad illum dicere Vindica me de adversario meo. 4 Et
nolebat per multum temporis. Post hæc dixit intra se Si deum
non timeo nec hominem revereor, 5 tamen quia molesta mihi
est hæc vidua, vindicabo illam, ne in novissimo veniens suggyllet
me. 6 Ait autem dominus Audite quid iudex iniquitatis dixit:
7 deus autem non faciet vindictam electorum suorum clamancium
ad se die ac nocte, pacienciam habens in illis? 8 Dico vobis
Faciet cito vindictam illorum. Veruntamen filius hominis ve-
niens, nunquid inveniet fidem in terram? 9 Dixit autem ad
quosdam, qui sibi confidebant tanquam iusti et spernebant cæ-
teros similitudinem hanc. 10 Duo homines ascenderunt in
templum ut orarent, unus publicanus et unus Pharisæus. 11
Stans itaque Pharisæus sic orabat Deus, gracias ago tibi quia
non sum sicut cæteri homines, raptores, iniusti, adulteri, velut
etiam et hic publicanus: 12 ieiuno bis in sabbato, et decimas do
omnium quæ possideo. 13 Et publicanus a longe stans nolebat
nec oculos levare in cælum, sed percuciebat pectus suum dicens
Domine deus, propiciare mihi peccatori. 14 Dico itaque vo-
bis, quia descendit hic publicanus iustificatus in domum suam
magis quam ille Pharisæus: quia omnis qui se exaltat humiliabitur,
et qui se humiliaverit exaltabitur. 15 Afferebant autem ad illum
et infantes ut eos tangeret: quos cum viderent discipuli, in-
crepabant illos. 16 Iesus autem convocans illos dixit Sinite
pueros venire ad me, et nolite eos prohibere: talium est enim

regnum cælorum. 17 Amen dico vobis Quicunque non acceperit
regnum dei sicut puer, non intrabit in illud. 18 Interrogavit
autem eum quidam princeps dicens Magister bone, quid faciendo
vitam æternam possidebo? 19 Dixit autem Iesus Quid me dicis bo-
num? nemo est bonus nisi solus deus. 20 Et ait illi Iesus Mandata
nosti, Non occides, Non adulterium committes, Non furtum facies,
Non falsum testimonium dices, Honora patrem tuum et matrem tuam.
21 Et ait illi Hæc omnia custodivi a iuventute mea. 22 Quo au-
dito Iesus ait Adhuc unum tibi deest: omnia quæcunque habes
vende et da pauperibus, et habebis thesaurum in cælo et veni
sequere me. 23 His ille auditis contristatus est, quia dives
erat valde. 24 Videns autem illum tristem factum dixit
Iesus Quam difficile qui pecunias habent in regnum dei intrabunt:
25 facilius est enim camelum per foramen acus transire quam di-
vitem intrare in regnum dei. 26 Et dixerunt qui audiebant Et
quis potest salvus fieri? 27 Et ait illis Iesus Quæ inpossibilia sunt
apud homines, possibilia sunt apud deum. 28 Ait autem Petrus
Ecce nos relictis omnibus rebus nostris secuti sumus te. 29 Qui-
bus ipse dixit Amen dico vobis, nemo est qui relinquat domum
aut parentes aut fratres aut uxorem aut filios propter regnum
dei, 30 nisi ut recipiat septies tantum hoc tempore, in sæ-
culo autem venturo vitam æternam possidebit. 31 Assumpsit
autem Iesus XII et ait illis Ecce ascendimus Ierosolimis,
et consummabuntur omnia quæ scripta sunt per prophetas de
filio hominis: 32 tradetur enim gentibus, et illudetur et con-
spuetur et flagellabitur, 33 et postquam flagellaverint occident
illum, et tercia die resurget. 34 Et ipsi nichil horum intellexe-
runt sed erat verbum absconditum ab eis, et non intellexerunt quæ
dicebantur. 35 Factum est autem cum appropiaret Iericho, et unus
cæcus sedebat secus viam mendicans, 36 et cum audiret turbam
prætereuntem, interrogabat quid hoc esset. 37 Dixerunt autem
illi quod Iesus Nazaræus transiret. 38 Et clamavit dicens Iesu
fili David, miserere mihi. 39 Et qui præibant increpabant eum
ut taceret: ipse vero magis clamabat Fili David, miserere mihi.
40 Stans autem Iesus iussit illum adduci ad se: et cum appro-
piasset, interrogavit illum 41 dicens Quid tibi vis faciam? At
ille dixit Domine, ut videam. 42 Et respondens dixit illi Iesus
Respice, fides tua te salvum fecit. 43 Et confestim vidit, et
sequebatur illum magnificans deum. Et omnis plebs ut vidit,
dedit laudem deo.

XIX. 1 Et ingressus perambulavit Iericho. 2 Et ecce
vir nomine Zacchæus, et hic erat princeps publicanorum, et ipse
dives erat, 3 et quærebat ut videret Iesum quis esset, et non
poterat præ turba, quia statura pusillus erat. 4 Et præcurrens
ascendit in arborem sycomorum ut videret illum, quia illa parte
erat transiturus. 5 Et factum est dum transit Iesus vidit illum

sursum aspiciens et dixit ad eum Zacchee, festinans descende, quia
hodie oportet me in domo tua manere. 6 Et festinans descen-
dit, et excepit illum gaudens, 7 Et cum viderunt omnes, mur-
muraverunt dicentes quod ad hominem peccatorem devertit.
8 Stans autem Zaccheus dixit ad dominum Ecce dimidium bono-
rum meorum do pauperibus, et si quid alicui fraude abstuli
reddo quadruplum. 9 Ait autem Iesus ad illos Quod hodie salus
domui huic facta est, eo quod ipse filius sit Abrahæ: 10 ve-
nit enim filius hominis quærens salvum facere quod perierat.
11 Hæc illis audientibus adiiciens dixit similitudinem, quod esset
prope Ierusalem, et quia existimarent quod confestim regnum
dei manifestaretur. 12 Dixit ergo Homo quidam erat dives
et abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum et reverti.
13 Et vocavit decem servos et dedit illis decem mnas, et ait ad
illos Negociamini dum venio. 14 Cives autem eius oderant illum,
et miserunt legacionem post illum dicentes Nolumus hunc regnare
super nos. 15 Et factum est ut rediret accepto regno, iussit
vocari servos quibus dedit pecuniam, ut sciret quantum quisque
negociatus esset. 16 Venit autem primus dicens Domine, mna
tua decem mnas acquisivit. 17 Et ait illi Euge, serve bone,
quia in modico fidelis fuisti, eris potestatem habens supra X civi-
tates. 18 Et alter venit dicens Domine, mna tua fecit quinque
mnas. 19 Et huic ait Et tu esto supra quinque civitates. 20 Et
alter venit dicens Domine, ecce mna tua, quam habui repositam in
sudario: 21 quia timui te, quia homo austerus es, tolles quod non
posuisti et metes quod non seminasti. 22 Et dixit ei De ore tuo te
iudico, o infidelis serve. Sciebas quod homo austerus sum, tollo
quod non posui, et meto quod non seminavi? 23 et quare non
dedisti pecuniam meam ad mensam? et ego veniens cum usuris
utique exegissem illam. 24 Et astantibus dixit Auferte ab illo
mnam et date illi qui habet decem mnas. 25 Et dixerunt ei
Domine, habet decem mnas. 26 Dico autem vobis Omni ha-
benti dabitur, ab eo autem qui non habet, et quod habet au-
feretur ab eo. 27 Veruntamen inimicos meos illos, qui nolue-
runt me regnare super se, adducite huc et interficite ante me.
28 Et his dictis abiit ascendens Ierosolimam. 29 Et factum est
cum appropinquaret Bethfage et Bethaniæ ad montem qui voca-
tur oliveti, misit duos discipulos suos. 30 dicens Ite in castel-
lum quod contra est, in quo introeuntes invenietis pullum asinæ
alligatum, in quo nemo sedit: solvite illum et adducite. 31 Et
si quis vos interrogaverit dicetis Quia dominus opera eius desi-
derat. 32 Abierunt autem qui missi erant, et invenerunt sicut
dixit illis Iesus pullum stantem. 33 Et solventibus illis dixerunt
domini eius ad illos Quid solvitis pullum? 34 At illi dixerunt Do-
minus opera eius desiderat. 35 Et duxerunt illum ad Iesum, et iacta-
verunt vestimenta sua super illum et imposuerunt Iesum. 36 Eunte

autem illo substernebant vestimenta sua in via. 37 Et cum
appropiaret iam ad descensum montis oliveti, coeperunt omnes
turbæ gaudentes laudare domum voce magna, 38 dicentes Benedictus
qui venit in nomine domini: benedictus rex, pax in cælo et gloria in
excelsis. 39 Et quidam Pharisæorum de turba dixerunt ad illum
Magister, increpa illos. 40 Quibus ipse dixit Dico vobis si hi
tacuerint, lapides clamabunt. 41 Et quomodo appropiavit, videns
civitatem flevit super illam, dicens 42 Quia si cognovisses et tu,
quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi essent, nunc vero
abscondita sunt ab oculis tuis: 43 quia venient dies in te, et
circumdabunt te inimici tui vallo, et circumdabunt te undique, 44 et
ad terram prosternent te et filios qui sunt in te, et non relin-
quent lapidem supra lapidem in te universa, eo quod non cogno-
veris tempus visitacionis tuæ. 45 Et ingressus templum coepit
eiicere vendentes in illo et ementes, et mensas nummulariorum
effudit et cathedras vendencium columbas evertit, 46 dicens
Scriptum est Et erit domus mea domus oracionis: vos autem
fecistis illam speluncam latronum. 47 Et erat docens cotidie
in templo. Principes autem sacerdotum et scribæ et principales
plebis quærebant illum perdere. 48 et non inveniebant quid
facerent illi: omnis enim populus suspensus erat audiens illum.

XX. 1 Et factum est in una dierum docente illo populum
in templo et evangelizante eo venerunt principes sacerdotum et
scribæ cum senioribus, 2 et aiunt dicentes ad illum Dic nobis,
in qua potestate hæc facis, aut quis est qui dedit tibi hanc
potestatem? 3 Respondens autem dixit ad illos Interrogabo vos
et ego verbum, respondete mihi: 4 baptismum Iohannis de
cælo erat an ex hominibus? 5 At illi cogitabant intra se dicen-
tes Quia si dixerimus De cælo, dicet nobis Quare non credidistis
illi? 6 Et si dixerimus Ab hominibus, plebs universa lapidabit
nos, certi sunt enim Iohannem prophetam fuisse. 7 Et respon-
derunt dicentes: Nescimus. Et Iesus ait illis Neque ego dico vobis
in qua potestate hæc facio. 9 Coepit autem Iesus dicere ad plebem
hanc parabolam. Vineam plantavit homo et locavit eam colonis,
et peregre fuit multis temporibus. 10 Et quodam tempore misit
ad cultores servum suum ut de fructu vineæ darent illi: Et cæ-
sum illum dimiserunt. 11 Et addidit alterum mittere servum:
illi autem hunc quoque cæsum et sine honore dimiserunt inanem.
12 Et addidit tercium mittere: et illum vulneratum eiecerunt.
13 Dixit autem dominus vineæ Quid faciam? nisi filium
meum charissimum mittam? forsitan enim hunc reverebuntur.
14 Quem cum viderent coloni, cogitaverunt inter se dicentes Hic
est heres: occidamus eum, ut nostra erit hereditas. 15 Et
eiectum illum extra vineam occiderunt. Quid ergo faciet do-
minus vineæ? 16 Veniet et perdet colonos istos, et dabit vineam
aliis. Quo audito dixerunt illi Absit. 17 Ille autem aspiciens

illos dicit Quid ergo est hoc quod scriptum est Lapidem quem
reprobaverunt edificantes, hic factus est in caput anguli?
18 Omnis qui ceciderit super illum lapidem conquassabitur: su-
per quem ceciderit autem, comminuet illum. 19 Et quærebant
principes sacerdotum et scribæ mittere in illum manus ipsa hora,
et timuerunt populum: cognoverunt enim quod ad istos dixit
similitudinem istam. 20 Et cum redissent principes sacerdotum
summiserunt insidiatores qui se iustos simularent, ut appre-
henderent sermonem eius, et traderent illum potestati et magistra-
tus et præsidis. 21 Et interrogaverunt illum dicentes Magister,
scimus quod recte dicis et non accipis personam, sed in veri-
tate viam dei doces: 22 licet nobis dare tributum cæcari aut
non? 23 Considerans autem dolum illorum dixit ad eos Quid me
temptatis? 24 Ostendite mihi denarium. Et ostenderunt denarium.
Et dixit eis Cuius habet imaginem et scripcionem? Responden-
tes dixerunt Cæsaris. 25 Et ait illis Reddite ergo quæ cæsaris
sunt cæsari, et quæ dei sunt deo. 26 Et non potuerunt verbum
eius reprehendere coram plebe, et mirati in responso eius tacue-
runt. 27 Accesserunt autem quidam Sadducæorum, qui negant
esse resurreccionem, et interrogaverunt illum 28 dicentes Ma-
gister, Moyses scripsit nobis Si frater alicuius mortuus fuerit
habens uxorem, et hic sine filiis mortuus fuerit, ut accipiat eam
frater eius uxorem et resuscitet semen fratri suo. 29 Septem ergo
fratres erant apud nos: et primus accepit uxorem et mortuus est
sine filio: 30 et sequens accepit illam, et ille mortuus est sine filio:
31 et tercius accepit illam et mortuus est sine filio, similiter et
omnes septem, et non reliquerunt filios. 32 Mortua est et mu-
lier. 33 In resurreccione ergo cuius eorum erit uxor? nam
septem habuerunt illam uxorem. 34 Et ait illis Iesus Filii
huius sæculi generant et generantur; at hi qui digni habentur
sæculi illius in resurreccione mortuorum neque nubunt neque
ducunt uxores: 36 neque enim moriuntur, nam sunt similes an-
gelis dei quia resurreccionis filii sunt. 37 Quoniam vere resur-
gunt mortui, Moyses ostendit sicut dixit Vidi in rubo dominum
deum Abraham et deum Ysaach et deum Iacob: 38 deus ergo
mortuorum non est sed vivorum: omnes enim vivent. 29 Et
respondentes quidam scribarum dixerunt Magister, bene dixisti.
40 Et amplius non sunt ausi eum quicquam interrogare. 41 Dixit
autem ad illos Iesus Quomodo dicunt Christum filium David esse?
42 et ipse David dicit in libro psalmorum Dicit dominus domino
meo Sede a dextris meis 43 donec ponam inimicos tuos sub
pedibus tuis? 44 Si David dominum illum vocat, quomodo filius
eius est? 45 Audiente autem omni populo dixit Iesus ad disci-
pulos suos. 46 Attendite a scribis, qui volunt ambulare in stolis
et amant salutaciones in foro et primas cathedras in synagogis

et primos discubitus in conviviis, 47 qui fingentes longam ora-
cionem: devorant panes viduarum; hi maiorem damnacionem ac-
cipient.
XXI. 1 Respiciens autem vidit eos qui mittebant munera
sua in gazophilacio divites: 2 et videt quandam viduam pauper-
culam mittentem æra minuta duo, 3 et dixit Vere dico vobis
quia vidua hæc paupercula plus quam omnes misit. 4 Nam
omnes hi ex abundanti sibi miserunt in dona dei: hæc autem
ex eo quod deest illi, omnem victum suum quem habuit misit.
5 Et quibusdam dicentibus de templo, quod lapidibus bonis et
donis ornatum sit, dixit 6 Videtis hæc, venient dies in quibus
non relinquetur lapis super lapidem hic in pariete qui non de-
struatur. 7 Interogaverunt autem illum dicentes Præceptor,
quando hæc fient et quod signum cum futura erunt? 8 Qui-
bus ipse dixit Videte ne seducamini: multi enim venient
in nomine meo, dicentes Ego sum Christus et tempus appro-
piavit: nolite ire post illos. 9 Cum autem audieritis proelia et
sediciones, nolite terreri: oportet enim hæc primum fieri, sed
non statim finis. 10 Tunc dicebat illis Nam surget gens super
gentem et regnum adversus regnum, 11 et terræ motus magni
erunt per loca et pestilenciæ et fames erunt terroresque de cælo
et signa magna erunt et tempestates. 12 Sed ante hæc omnia
iniicient in vos manus suas et persequentur, tradentes vos in
synagogas et custodias, ducentes ad reges et ad præsides, pro-
pter nomen meum. 13 Continget enim in testimonium vobis.
14 Ponite ego in cordibus vestris non præmeditari quomodo re-
spondeatis: 15 ego enim dabo vobis os et sapienciam, cui non
possunt resistere et adversarii vestri. 16 Trademini autem a
parentibus et fratribus et a cognatis et amicis, et morte afficient
ex vobis, 17 et eritis odio magno hominibus propter nomen
meum. 18 Capillus de capite vestro non peribit: 19 in vestra
enim paciencia acquiretis animas vestras. 20 Cum autem vide-
ritis circumdari ab exercitu Ierusalem, tunc scitote quoniam
appropiavit desolacio eius. 21 Tunc qui in Iudæa sunt fugiant
in montes, et qui in medio eius erunt descendant, et qui in re-
gionibus non intrent in eam, 22 quia dies ulcionis hi sunt, ut
impleantur omnia quæ scripta sunt. 23 Væ his quæ in utero
habent et quæ ubera dant in illis diebus: erit enim super terram
pressura magna et ira populo huic, 24 et cadent in ore gladii
et captivi ducentur in omnibus gentibus, et Ierusalem calcabitur
a nationibus, donec impleantur tempora nacionum. 25 Et erunt
signa in sole et luna et stellis, et in terris pressura gencium
præ confusione sonitus maris et fluctuum, 26 arescentibus homi-
nibus præ timore et expectacione quæ supervenient universo orbi:
nam virtutes quæ in cælo sunt movebuntur. 27 Et tunc videbunt
filium hominis venientem de cælo in nubibus cum potestate

magna in maiestate. 28 His autem fieri incipientibus respirabitis
et levabitis capita vestra. 29 Et dixit illis similitudinem Videte
ficulneam et omnes arbores: 30 cum producunt iam
ex se fructum, scitis quia prope est æstas: 31 ita et hæc
cum videritis fieri, scitote quia prope est regnum dei. 32
Amen dico vobis quia non præteribit generacio hæc donec
omnia fiant. 33 Cælum et terra transient, verba autem mea non
transient. 34 Attendite autem vobis ne forte graventur corda
vestra in crapula et ebrietate et cogitacionibus sæculi et superveniat
in vos repentina dies illa: 35 tanquam laqueus superveniet
enim in omnes qui sedent super faciem omnis terræ.
36 Vigilate itaque omni tempore orantes ut digni habeamini effugere
ista omnia quæ futura sunt et stabitis ante filium hominis.
37 Erat autem interdie docens in templo, noctibus vero exiens
avocabatur in monte qui vocatur oliveti. 38 Et omnis populus
manicabat ad eum in templo audire eum.

XXII. 1 Appropinquabat autem dies azimorum qui dicitur
pascha, 2 et quærebant principes sacerdotum et scribæ
quomodo eum interficerent; timebant vero plebem. 3 Intravit
autem sathanas in Iudam qui cognominabatur Scariotha, unus de
duodecim: 4 et abiit et locutus est cum principibus sacerdotum
et scribis quemadmodum illum traderet eis. 5 Et gavisi sunt
et pacti sunt pecuniam illi dare: 6 et quærebat oportunitatem,
temporis ut traderet illum eis sine turba. 7 Venit autem dies
azimorum, in qua nescesse erat occidi pascha: 8 et misit Petrum
et Iohannem dicens Euntes parate nobis pascha ut manducemus.
9 At illi dixerunt Ubi vis paremus tibi? 10 Et dixit ad illos Ecce
introeuntibus vobis in civitatem occurret vobis homo amphoram
aquæ portans: sequimini eum in domum in quam intrat, 11 et
dicetis patri familias Dicit tibi magister Ubi est diversorium ubi
pascha cum discipulis meis manducem? 12 Et ille vobis ostendet
in superioribus locum stratum magnum, ibi parate. 13 Euntes
autem invenerunt sicut dixit illis, et paraverunt pascha.
14 Et cum facta esset hora, discubuit, et apostoli cum illo.
15 Et ait illis Desiderio desideravi hoc manducare vobiscum
ante quam patiar: 16 dico enim vobis quia iam non manducabo
illud quandiu impleatur in regno dei. 17 Et accepit calicem et
gracias egit et dixit Accipite hoc et bibite inter vos: 18 dico
enim vobis quoniam non bibam a generacione vitis quandiu regnum
dei veniat. 19 Et accepto pane gracias agens fregit et
dedit eis dicens Hoc est corpus meum quod pro vobis datur:
hoc facite in meam commemoracionem. 20 Similiter et calicem
postquam cænavit, dicens Hic est calix novi testamenti sanguinis
mei, qui pro vobis effundetur. 21 Verum ecce qui mecum manducat
et mecum mittit manum in mensam ipse me tradet.
22 Et filius quidem hominis secundum quod scriptum est vadit,

verum væ illi homini per quem traditur. 23 Et conquireban-
tur inter se quis esset ex eis hoc facturus. 24 Facta est autem
contencio inter eos, quis eorum videretur esse maior. 25 Di-
xit autem eis Iesus Reges gencium dominantur eorum, et qui
potestatem habent bene regentes eorum benigni vocabuntur: 20 vos
autem non sic, sed qui maior est in vobis fiat sicut minor, et
qui præcessor est sit sicut ministrator. 27 Nam quis maior
est, qui recumbit aut qui ministrat? in gentibus quidem qui re-
cumbit in vobis autem non sic sed qui ministrat? Ego autem in
medio vestrum sum non sicut recumbens sed sicut ministrator.
28 Vos autem estis qui permansistis mecum in temptacionibus
meis. 29 Et ego quidem disponam vobis, sicut disposuit mihi
pater meus regnum, 30 ut edatis et bibatis super mensam meam
in regno meo, et sedeatis super thronos XII iudicantes XII tri-
bus Israel in sæcula sæculorum. 31 Dixit autem dominus Simon
ecce sathanas quæsivit ad cernendum velut triticum, 32 ego autem
rogavi pro te ne dificiat fides tua; etiam tu aliquando conversus con-
firma fratres tuos et rogate ne intretis in temptacionem. 33 Qui dixit ei
Domine, tecum sum paratus et in carcerem et ad mortem ire. 34 Et
ille dixit Dico tibi, Petre, non cantabit hodie gallus quoadusque
ter me negabis nocte. Et dixit eis 45 Quando misi vos sine
sacculo et pera et calciamentis, nunquid aliquid defuit vobis?
36 At illi dixerunt Nichil. Dixit ergo eis Sed nunc qui habet
saccelum tollat, similiter et peram, et qui non habet vendat tuni-
cam suam et emat gladium. 37 Dico enim vobis quoniam ad-
huc hoc quod scriptum est oportet impleri in me, quod Et cum
iniustis deputatus est. Etenim ea quæ sunt de me finem habent.
38 At illi dixerunt Domine, ecce gladii duo hic. Ille autem dixit
eis Satis est. 39 Et egressus abiit secundum consuetudinem
suam in montem olivarum: secuti sunt autem et discipuli eius.
40 Et cum pervenisset ad locum, dixit illis Orate ne intretis
in temptacionem. 41 Et ipse secessit ab eis quasi ad iactum la-
pidis, et positis genibus orabat 42 dicens Pater, non volun-
tas mea sed tua fiat; si vis transfer calicem istum a me.
43 Et apparuit illi angelus domini de cælo confortans eum.
Et cum factus esset in agonia et prolixius orabat. 44 Et
factus est sudor eius velut globus sanguinis descendentis in ter-
ram. 45 Et cum surrexisset ab oracione venit ad discentes suos
quos invenit dormientes a tristicia, 46 et dixit illis Quid dor-
mitis? surgite orate ne intretis in temptacionem. 47 Adhuc au-
tem eo loquente, ecce turba et qui vocabatur Iudas unus ex
XII præibat illos et propinquavit et osculatus est Iesum;
hoc dederat illis signum: quemcunque osculatus fuero tenete
eum. 48 Dixit autem illi Iesus Iuda, osculo filium hominis tra-
dis? 49 Cum autem viderent qui circa eum erant quod futurum
esset dixerunt ei Domine, si percutiemus gladio? 50 Et percussit

unus ex eis servum sacerdotis et abstulit aurem eius dextram.
51 Dixit autem Iesus Sinite usque adhuc: et cum tetigisset au-
riculam eius, sanavit eum. 52 Dixit autem Iesus ad eos qui ad
se venerunt, primi sacerdotes et magistratus templi et seniores
Quasi ad latronem venistis ad me cum gladiis et fustibus:
53 cotidie vobiscum fui in templo, non extendistis in me ma-
nus: sed hæc est hora vestra et potestas tenebrarum. 54 Com-
prehensum autem eum ducebant et introduxerunt in domo sacer-
dotis; Petrus vero sequebatur a longe. 55 Succenso igne in medio
atrio inter circumsedentes sedebat et Petrus in medio illorum.
56 Quem cum vidisset ancilla quædam sedentem ad lumen et
intuita eum, dixit Et hic cum illo fuit. 57 Illi autem negavit
dicens Mulier, ignoro eum. 58 Et post pussillum videns eum
alius dixit Homo et tu de illis es. Petrus autem dixit O homo,
non novi hominem. 59 Et nost pusillum horæ unius contendens
quidam dixit Vere et hic cum eo erat: nam et Galilæus est.
60 Cui dixit Petrus Homo, ignoro quid dicas. Et adhuc lo-
quente illo statim gallus cantavit, 61 et conversus dominus
intuitus est Petrum, et rememoratus est Petrus sermonis domini,
quomodo illi dixit Antequam gallus cantet ter me negabis:
62 et egressus foras Petrus flevit amare. 63 Viri autem deti-
nentes eum irridebant illum, 64 et alligatum eum cædebant
et interrogantes eum Prophetiza nobis, quis te percussit? 65 Et
alia multa blasphemantes dicebant in eum. 66 Et ut dies factus
est, convenerunt seniores populi et principes sacerdotum et
scribæ et adduxerunt eum in consensum suum, dicentes Si tu es
Christus, dic nobis. 67 Quibus dixit Si vobis dixero, non credi-
tis mihi. 68 Et si interrogavero, non respondetis mihi neque
dimittetis. 69 Amodo enim erit filius hominis sedens ad dextram
virtutis dei. 70 Et dixerunt omnes Tu es ergo filius dei?
Quibus ait Vos dicitis, quia ego sum. 71 Illi vero dixerunt
Quid adhuc opus est vobis testimonio? audivimus enim ipsi ab
ore eius.

XXIII. 1 Et exsurgens omnis multitudo illorum ducebant
eum ad Pilatum. 2 Coeperunt autem accusare dicentes Hunc
invenimus evertentem gentem nostram et solventem legem et
prophetas et vetantem tributa dari cæsari dicentem se esse Chri-
stum regem. 3 Pilatus autem audiens interrogavit eum dicens Tu
es rex Iudæorum, tu es Iesus? Respondens dixit Tu dixisti.
4 Dixit itaque Pilatus ad sacerdotes et ad populum Nichil in-
venio causæ in isto homine. 5 Illi vero invalescebant dicentes
Quoniam conturbat populum docens per totam Iudæam incipiens
a Galilæa usque huc et filios nostros et uxores avertit a nobis
non enim baptizatur sicut nos. 6 Cum audisset autem Pilatus
a Galilæa interrogavit si de Galilæa est ipse homo, 7 Et cum
cognovisset quoniam sub potestate Herodis est misit eum ad

Herodem, cum esset Ierosolimis in illis diebus. 8 Herodes au-
tem ut vidit Iesum gavisus est valde: erat enim a multis tem-
poribus cupiens videre eum, quod auderat multa de eo, et spera-
bat signum fieri ab eo quod videret. 9 Interrogabat vero eum
sermonibus multis; ipse vero nichil ei respondit quasi non audiens
10 Stabant igitur sacerdotes et scribæ instanter accusantes eum.
11 Cum sprevisset autem illum Herodes cum exercitibus suis et
irrisit et vestivit illum vestem splendidam et misit ad Pilatum.
12 Cum essent autem in dissensionem Pilatus et Herodes facti
sunt amici in illa die: nam antea inimici erant ad invicem.
13 Pilatus autem convocatis principibus et sacerdotibus et maio-
ribus et omni populo 14 dixit ad eos Obtulistis mihi homi-
nem istum quasi avertentem populos, et ecce ego in con-
spectu vestro nichil causæ invenio in homine isto ex quibus
accusatis eum. 15 Sed neque Herodes: dimisi enim vos ad
illum, et ecce nichil morte dignum invenimus in illo. 16 Emen-
datum ergo eum dimittam. 17 Necesse autem habebat dimittere
eis per diem festum unum vinctum. 18 Exclamaveruut autem omnis
populus dicentes Tolle istum, dimitte autem nobis Barabbam, 19 qui
erat propter sedicionem quandam in civitate factam et homicidium
missus in carcerem. Iterum vero Pilatus locutus est ad illos
volens dimittere Iesum. 21 Illi autem clamaverunt dicentes
Crucifige, crucifige eum. 22 Ille autem et tercio dixit ad eos
Quid enim mali fecit hic? nichil invenio morte dignum in eo:
emendatum itaque eum dimittam. 23 Illi autem clamabant vo-
cibus magnis postulantes eum: crucifige illum et ipse prævalebant
voces illorum et sacerdotum. 24 Iudicavit itaque Pilatus
fieri secundum postulacionem illorum: 25 dimisit autem illis
eum qui propter homicidium et sedicionem missus erat in car-
cerem, quem petebant, Iesum autem tradidit voluntati eorum.
26 Susceperunt ergo Iesum et portans crucem suam ducebant
illum. Et apprehenderunt Simonem quemdam Cyrenæum venien-
tem de villa, et imposuerunt ei crucem ut ferret post illum.
27 Sequebatur autem illum multitudo populi et mulieres et la-
mentabantur et plangebant eum. 28 Conversus autem ad illas
Iesus dixit Filiæ Ierusalem nolite super me plorare, sed
super vos plorate et super filios vestros: 29 quoniam ecce ve-
nient dies in quibus dicent Beatæ steriles, et ventres qui non
genuerunt, et mamillæ quæ non nutricaverunt. 30 Tunc incipient
dicere montibus Cadite super nos, et collibus tegite nos: 31 quo-
niam si in humido ita faciunt ligno, et sicco quid facient?
32 Ducebantur autem et duo rei cum illo interfici. 33 Et cum
venissent in locum qui vocatur calvariæ, illic crucifixerunt illum
cruci et illos reos, unum ad dextram et unum ad sinistram.
34 Iesus autem dicebat Pater, dimitte illis: non enim sciunt

quid faciunt. Dividebant autem vestimenta eius mittentes sor-
tem. 35 Et stabat populus spectans, irridebant autem illum
principes et dicebant Alios salvos fecisti, teipsum salva, si tu es
Christus electus dei. 36 Insultabant autem illi et milites acce-
dentes et acetum offerentes, 37 et dicentes Ave rex Iudæorum
libera te. Imposuerunt autem illi et spineam coronam. 38 Fuit
autem et scripcio scripta super illum litteris Hebraicis Græce et
Latine Rex Iudæorum. 39 Unus autem ex latronibus qui pendebat
blasphemabat illum dicens Si tu es Christus, salvum te fac et nos.
40 Respondens autem alius corripiebat illum dicens Non times
tu deum, quoniam in damnacione es? 41 Et nos quidem iuste
digne enim secundum quæ fecimus et percepimus: hic vero nichil
mali admisit. 42 Et dicebat ad Iesum Domine, memor esto
mei cum veneris in regnum tuum. 43 Et dixit ei Iesus Credis?
Amen dico tibi, quod hodie mecum eris in paradiso. 44 Hora
autem fuit quasi sexta et tenebræ factæ sunt super totam ter-
ram usque in horam nonam, 45 Tenebricavit sol, et velum
templi scissum est medium. 46 Et exclamavit voce magna Ie-
sus et dixit Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.
Hoc autem cum dixisset exspiravit. 47 Centurio autem cum
videret quod fiebat, clarificabat deum quod factum est dicens Re-
vera iste homo iustus est. 48 Et omnes qui interfuerunt specta-
culo turbæ cum vidissent quæ facta sunt percucientes frontes suas
revertebantur, 49 Stabant autem omnes noti eius de longinquo,
et mulieres eorum quæ secutæ erant illum a Galilæa, videntes
ista. 50 Et ecce vir quidam nomine Ioseph de civitate Arima-
thia cum esset decurio, qui sperabat regnum dei et bonus homo,
51 non consenciens consilio et actui eorum: 52 hic accessit ad
Pilatum et petiit corpus Iesu. Pilatus autem cum audisset
quia exspiravit clarificavit dominum et donavit corpus Io-
seph, 53 Ioseph autem deposuit corpus et involvit in syn-
done, et posuit illud in monumento perfosso in petra ubi
nemo fuit positus. Et cum positus esset in monumento posue-
runt lapidem, quem vix XX volvebant. 54 Fuit autem dies cænæ
puræ ante Sabbatum. Secutæ sunt autem mulieres quæ vene-
rent a Galilæa, et viderunt monumentum et quomodo positum
est corpus eius, 56 et reversæ paraverunt aromata et ung-
uentum: et sabbato quidem quieverunt secundum mandatum.

XXIV. 1 Uno autem sabbati venerunt ad monumentum dilu-
culo ferentes quæcunque paraverunt. Cogitabant autem inter se quis-
nam esset qui revolveret lapidem. 2 Et cum venissent invene-
runt lapidem revolutum a monumento, 3 Cum venissent autem
non invenerunt corpus domini Iesu. 4 Et factum est dum stu-
perent de hoc, ecce duo viri astiterunt secus illas in veste ful-
gente: 5 Conterritæ autem inclinaverunt faciem in terram. Illi
autem dixerunt Quem quæritis? Iesum Nazarenum? 6 Resurrexit a

mortuis, commemoramini quæ vobis locutus sit cum adhuc esset
in Galilæa, 7 quoniam oportet filium hominis tradi in manus
hominum peccatorum et cruci affigi et tercia die resurgere. 8 Et
commemoratæ sunt verborum eius, 9 et reversæ sunt et re-
nunciaverunt omnia ista XI apostolis et omnibus reliquis.
10 Erant autem Maria Magdalene et Iohanna et Maria Iacobi
et reliquæ, quæ dicebant ad apostolos ista. 11 Et visa sunt
apud illos quasi deliramenta verba ista, et non credebant illis.
12 Petrus autem surgens cucurrit ad monumentum, et procum-
bens videt linteamina sola posita, et abiit secum mirans quod
factum fuerat. 13 Et ecce duo ex illis euntes in ipsa die in
castellum, quod abest ab Ierosolimis stadia LX, nomine Em-
maus. 14 Fabulabantur autem ad invicem de omnibus quæ acci-
derant. 15 Et factum est dum fabulabantur secum et conquire-
bant ad invicem, Iesus appropinquabat et commitabatur cum
illis: 16 oculi autem eorum detinebantur ne eum agnoscerent.
17 Ille autem dixit ad eos Qui sunt sermones isti quos refertis
ad invicem et estis tristes? 18 Respondit autem unus, cui no-
men erat Cleophas et dixit ad illum Tu solus peregrinaris ab
Ierosolima non cognovisti quæ facta sunt in illa in istis diebus?
19 Ille autem dixit illis Quæ? Illi autem dixerunt De Iesu Na-
zareno qui fuit vir potens in factis et in dictis in conspectu dei
et universi populi, 20 quomodo eum tradiderunt sacerdotes et
magistratus nostri in damnacione mortis et cruci eum fixerunt.
21 Nos autem sperabamus quia ipse fuit qui redempturus erat
Israel: et nunc tercius dies agitur hodie ex quo hæc facta
sunt. 22 Et mulieres quædam ex nobis commoverunt nos, cum
fuissent ante lucanum ad monumentum, 23 quæ cum non inve-
nissent corpus eius advenerunt dicentes angelorum visionem se
vidisse, qui dicebant eum vivere. 24 Et fuerunt quidam de nobis
ad monumentum, et invenerunt sicut dixerunt mulieres, ipsum
autem non viderunt. 25 Ille autem dixit ad illos O insensati et
tardi corde ad credendum super omnia quæ locuti sunt prophetæ!
26 Nonne hæc omnia oportebat pati Christum et introire in
claritatem suam? 27 Et fuit incipiens a Moyse et omnibus pro-
phetis interpretans illis omnes scripturas de semetipso. 28 Et
appropinquaverunt ad castellum quo ibant, et ipse autem finxit se
longius ire, 29 et coegerunt illum dicentes Mane nobiscum, quoniam
ad vesperum declinavit dies. Et introivit ut maneret cum illis.
30 Et factum est in eo cum iam recumberet cum illis, accepit
panem et benedixit et fregit et tradidit illis: 31 cum accepissent
autem panem ab eo aperti sunt oculi eorum, et agnoverunt
illum: ipse autem nusquam comparuit ab eis. 32 Illi autem
dixerunt ad invicem Nonne cor nostrum fuit excecatum quomodo
in via aperiebat nobis scripturas? 33 Et surrexerunt tristes et
reversi sunt ipsa hora in Ierusalem, et invenerunt collectos

XI et qui cum eis erant, 34 dicentes Qouniam vere rasurrexit
dominus et visus est Simoni. 35 Et ipsi exponebant eis
quæ in via acta sunt et quoniam visus est illis in panis fractura.
36 Hæc cum illi loquerentur ipse dominus stetit in medio ipsorum
et dixit illis Pax vobiscum, ego sum, nolite timere. 37 Turbati
autem et in timore missi putaverunt se spiritum videre. 38 Ille
autem dixit illis Quid turbati estis et quare cogitaciones ascendunt
in cor vestrum? 39 Videte manus meas et pedes, quoniam ego
ipse sum: palpate et videte me, quoniam spiritus carnem et ossa
non habet sicut me videtis habentem. 40 Ft cum hoc dixisset,
ostendit eis manus et pedes. 41 Cum adhuc autem non crede-
rent et mirabantur a gaudio, dixit ad eos Iesus Habetis hic
aliquid quod manducetur? 42 At illi obtulerunt ei partem pis-
cis assi et porrexerunt ei et favum mellis: 43 accepit coram
illis, sumens reliquias dedit eis. 44 Et dixit ad eos Isti sermo-
nes sunt quos locutus sum ad vos cum adhuc essem vobiscum, quia
oportet impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi et in
prophetis et in psalmis de me. 45 Tunc aperuit illis sensum ut
intelligerent scripturas, 46 et dixit illis Quia scriptum est Chri-
stum pati et resurgere a mortuis tercia die, 47 et prædicari
in nomine eius pænitenciam et remissa peccatorum usque in
omnes gentes, incipiens ab Ierusalem. 48 Et vos estis testes
eorum 49 Et ego mitto promissionem patris mei super vos:
vos autem sedete in civitate, quoadusque induatis virtutem ex
alto. 50 Produxit autem illos foris in Bethania, et elevavit
manus suas et benedixit illos. 51 Et factum est cum bene-
dixisset illos discessit ab eis, et ferebatur in cælum. 52 Et
ipsi adorantes reversi sunt in Ierusalem cum gaudio magno,
53 et fuerunt semper in templo laudantes et benedicentes deum.
Amen.

EVANGELIUM SECUNDUM JOHANNEM.

---

1. 1 In principio erat verbum, et verbum erat apud deum,
et deus erat verbum. 2 Hoc erat in principio apud deum.
3 Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nichil
quod factum est. 4 In ipso vita est, et vita erat lux hominum:
5 et lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt.
6 Fuit homo missus a deo, cui nomen erat Johannes: 7 hic

venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut
omnes crederent per illum. 8 Non erat ille lux, sed ut testi-
monium perhiberet de lumine. 9 Erat lux vera, quæ illuminat
omnem hominem venientem in hunc mundum. 10 In mundo
erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cogno-
vit. 11 In propria venit, et sui eum non receperunt. 12 Quot-
quot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios dei fieri, his
qui credunt in nomine eius, 13 qui non ex sanguinibus neque
ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri sed ex deo nati
sunt. 14 Et verbum caro factum est et habitavit in nobis, et
vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti a patre, plenum
gracia et veritate. 15 Iohannes testimonium perhibet de ipso
et clamat dicens Hic est de quo dixi Qui post me venit vir,
qui ante me factus est, quia prior me erat. 16 Et de pleni-
tudine eius nos omnes accepimus, graciam pro gracia: 17 quia
lex per Moysen data est, gracia autem et veritas per Ie-
sum Christum facta est. 18 Deum nemo vidit unquam nisi:
unigenitus filius qui est in patre, ipse enarravit nobis. 19 Et
hoc est testimonium Iohannis, quando miserunt ad eum Iudæi
ab Ierosolimis sacerdotes et Levitas, ut interrogarent eum Tu
quis es? 20 Et confessus est et non negavit, et confessus est
Quia non sum ego Christus. 21 Et interrogaverunt iterum Quid
ergo? Helias es tu? Et dixit Non sum. Quid ergo? Propheta es
tu? Et respondit Non sum. 22 Responderunt ei Dic ergo no-
bis Quis es tu? ut responsum demus his qui miserunt nos: quid
dicis de te ipso? 23 Et ait Ego sum vox clamantis in deserto
Parate viam domini, sicut dixit Ysaias propheta. 24 Et qui
missi fuerant, erant ex Pharisæis, 25 et interrogaverunt eum
dicentes Quid ergo baptizas, si tu non es Christus neque Helias
neque propheta? 26 Respondit eis Iohannes dicens Ego quidem
aqua baptizo, medius autem vestrum stetit quem vos nescitis:
27 ipse est qui post me venturus est, qui ante me factus est,
cuius ego non sum dignus ut solvam eius corrigiam calciamenti.
28 Hæc in Bethania facta sunt trans Iordanen, ubi erat Iohan-
nes baptizans. 29 Altera die vidit Iohannes Iesum venientem
ad se, et ait Ecce agnus dei, ecce qui tollit peccatum mundi.
30 Hic est de quo dixi Post me venit vir qui ante me factus
est, quia prior me erat. 31 Et ego nesciebam eum, sed ut
manifestaretur Israel, propterea veni ego in aqua baptizans.
32 Et testimonium perhibuit Iohannes dicens Quia vidi spiritum
descendentem quasi columbam de cælo, et mansit super eum.
33 Et ego nesciebam eum, sed qui misit me baptizare in aqua,
ille mihi dixit Super quem videris spiritum descendentem et
manentem super eum, hic est qui baptizat in spiritu sancto.
34 Et ego vidi, et testimonium perhibui quia hic est filius dei.
35 Altera die iterum stabat Iohannes et ex discipulis eius duo,

36 et respiciens Iesum ambulantem dicit Ecce agnus dei. 37 Et
audierunt eum duo discipuli loquentem, et secuti sunt Iesum.
38 Conversus autem Iesus et videns eos sequentes dicit eis Quid
quæritis? Qui dixerunt ei Rabbi, quod interpretatur magister,
ubi habitas? 39 Dicit eis Venite et videte. Venerunt et vide-
runt ubi maneret, et apud eum manserunt die illo; hora autem
erat quasi decima. 40 Erat autem Andreas frater Simonis Petri
unus ex duobus qui audierant ab Iohanne et secuti fuerant eum.
41 Invenit hic primum fratrem suum Simonem, et dicit ei In-
venimus Messiam, quod est interpretatum Christus, 42 et ad-
duxit eum ad Iesum. Intuitus autem eum Iesus dixit Tu es
Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur
Petrus. 43 In crastinum voluit exire in Galilæam, et invenit
Philippum, et dicit ei Iesus Sequere me. 44 Erat autem Phi-
lippus a Bethsaida, civitate Andreæ et Petri. 45 Invenit Phi-
lippus Nathanael et dicit ei Quem scripsit Moyses in lege et
prophetæ, invenimus, Iesum filium Ioseph a Nazareth. 46 Et
dixit ei Nathanael A Nazareth potest aliquid boni esse? Dicit
ei Philippus Veni et vide. 47 Vidit Iesus Nathanael venientem
ad se et dicit de eo Ecce vere Israelita, in quo dolus non est.
48 Dicit ei Nathanael Unde me nosti? Respondit Iesus et dixit
ei Priusquam te Philippus vocaret, cum esses sub ficu, vidi te.
49 Respondit Nathanael et ait Rabbi, tu es filius dei, tu es rex
Israel. 50 Respondit Iesus et dixit illi Quia dixi tibi Vidi te
sub ficu, credis? maius his videbis. 51 Et dicit eis Amen
amen dico vobis, videbitis cælum apertum et angelos dei ascen-
dentes et descendentes super filium hominis.

II. 1 Et die tercia nupciæ factæ sunt in Cana Galilææ,
et erat mater Iesu ibi: 2 vocatus est autem et Iesus et disci-
puli eius ad nupcias. 3 Et deficiente vino dicit mater Iesu ad
eum Vinum non habent. 4 Et dicit ei Iesus Quid mihi et tibi
est, mulier? nondum venit hora mea. 5 Dicit mater eius mini-
stris Quodcunque dixerit vobis, facite. 6 Erant autem ibi lapi-
deæ hydriæ sex positæ secundum purificationem Iudæorum, capi-
entes singulæ metretas binas vel ternas. 7 Dicit eis Iesus Im-
plete hydrias aqua. Et impleverunt eas usque ad summum.
8 Et dicit eis Iesus Haurite nunc et ferte architiclino. Et tule-
runt. 9 Ut autem gustavit architiclinus aquam vinum factam,
et non sciebat unde esset, ministri autem sciebant qui hauriebant
aquam, vocat sponsum architiclinus 10 et dicit ei Omnis homo
primum bonum vinum ponit, et cum inebriati fuerint convivæ,
tunc id quod deterius est, tu servasti bonum vinum usque ad-
huc. 11 Hoc fecit inicium signorum Iesus in Cana Galilææ, et
manifestavit gloriam suam, et crediderunt in eum discipuli eius.
12 Post hoc descendit Capharnaum ipse et mater eius et fratres

et discipuli eius, et ibi manserunt non multis diebus. 13 Et
prope erat pascha Iudæorum, et ascendit Ierosolimam Iesus.
14 Et invenit in templo vendentes boves et oves et columbas et
numularios sedentes, 15 et cum fecisset quasi flagellum de
funiculis, omnes eiecit de templo, oves quoque et boves, et
numulariorum effudit æs et mensas subverit, 16 et his qui
columbas vendebant dixit Auferte ista hinc, nolite facere domum
patris mei domum negotiacionis. 17 Recordati vero sunt disci-
puli eius quia scriptum est Zelus domus tuæ comedit me.
18 Responderunt ergo Iudæi et dixerunt ei Quod signum osten-
dis nobis, quia hæc facis? 19 Respondit Iesus et dixit eis Sol-
vite hoc templum, et in tribus diebus excitabo illud, 20 Dixe-
runt ergo Iudæi Quadraginta et sex annis ædificatum est templum
hoc, et tu tribus diebus excitabis illud? 21 Ille autem dicebat
de templo corporis sui. 22 Cum ergo resurrexisset a mortuis,
recordati sunt discipuli eius quia hoc dicebat et crediderunt
scripturæ et sermoni quem dixit Iesus. 23 Cum esset autem
Ierosolimis in pascha in die festo, multi crediderunt in nomine
eius, videntes signa eius quæ faciebat: 24 ipse autem Iesus non
credebat semetipsum eis, eo quod ipse nosset omnes, 25 et
quia opus ei non erat ut quis testimonium perhiberet de
homine.

III. 1 Erat autem homo ex Pharisæis, Nicodemus nomine,
princeps Iudæorum: 2 hic venit ad eum nocte et dixit ei
Rabbi, scimus quia a deo venisti magister: nemo enim potest
hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit dominus cum eo. 3 Re-
spondit Iesus et dixit ei Amen amen dico tibi, nisi quis natus
fuerit denuo, non potest videre regnum dei. 4 Dicit autem
Nicodemus Quomodo potest homo nasci cum sit senex? nunquid
potest in ventrem matris suæ iterato introire et nasci? 5 Re-
spondit Iesus Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex
aqua et spiritu, non potest introire in regnum dei. 6 Quod na-
tum est ex carne caro est, et quod natum est ex spiritu spiritus
est, 7 Non mireris quia dixi tibi Oportet vos nasci denuo.
8 Spiritus ubi vult spirat, et vocem eius audis, sed non scis
unde veniat aut quo vadat: sic est omnis qui natus est ex
spiritu. 9 Respondit Nicodemus et dixit ei Quomodo possunt
hæc fieri? 10 Respondit Iesus et dixit ei Tu es magister Is-
rael et hæc ignoras? 11 Amen amen dico tibi quia quod scimus
loquimur et quod vidimus testamur, et testimonium nostrum non
accipitis. 12 Si terrena dixi vobis et non creditis, quomodo,
si dixero vobis cælestia, credetis? 13 Et nemo ascendit
in cælum nisi qui descendit de cælo, filius hominis qui est
in cælo. 14 Et sicut Moyses exaltavit serpentem in de-
serto, ita exaltari oportet filium hominis, 15 ut omnis qui
credit in ipso non pereat, sed habeat vitam æternam. 16 Sic

enim dilexit deus mundum ut filium suum unigenitum daret, ut
omnis qui credidit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.
17 Non enim misit deus filium suum in mundum ut iudicet
mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum? 18 qui credit in
eum non iudicatur; qui autem non credit iam iudicatus est, quia
non credidit in nomine unigeniti filii dei. 19 Hoc est autem
quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tene-
bras quam lucem: erant enim eorum mala opera. 20 Omnis
enim qui male agit odit lucem, ut non arceantur opera eius:
21 qui autem facit veritatem venit ad lucem, ut manifestentur
eius opera, quia in deo sunt facta. 22 Post hæc venit Iesus et
discipuli eius in Iudæam terram, et illic demorabatur cum eis et
baptizabat. 23 Erat autem et Iohannes baptizans in Enon iuxta
Salim, quia aquæ multæ erant illic, et adveniebant et baptiza-
bantur: 24 nondum enim missus fuerat in carcerem Iohannes.
25 Facta est ergo quæstio ex discipulis Iohannis cum Iudæis de
purificatione. 26 Et venerunt ad Iohannem et dixerunt ei Rabbi,
qui erat tecum trans Iordanem, cui tu testimonium perhibuisti,
ecce hic baptizat, et omnes veniunt ad eum. 27 Respondit Io-
hannes et dixit Non potest homo accipere ex se quicquam nisi fuerit
ei datum de cælo. 28 Ipsi vos mihi testimonium perhibetis
quod dixerim Ego non sum Christus, sed quia missus sum ante
illum. 39 Qui habet sponsam sponsus est: amicus autem sponsi,
qui stat et audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi: hoc
ergo gaudium meum impletum est. 30 Illum oportet crescere,
me autem minui. 31 Qui desursum venit, super omnes est.
Qui est de terra, de terra est et de terra loquitur: qui de cælo
venit, super omnes est, 32 et quod vidit et audivit, hoc testa-
tur: et testimonium eius nemo accipit. 33 Qui accipit eius
testimonium, signavit quia deus verax est. 34 Quem enim misit
deus, verba dei loquitur, non enim ad mensuram deus dat spiri-
tum. 35 Pater diligit filium et omnia dedit in sinu eius. 36 Qui
credit in filium, habet vitam æternam: qui autem incredulus est
filio, non videbit vitam, sed ira dei manet super eum.

IV. 1 Ut ergo cognovit Iesus, quia audierunt Pharisæi quia
Iesus plures discipulos facit et baptizat quam Iohannes, 2 quam-
quam Iesus non baptizaret sed discipuli eius, 3 reliquit Iudæam
et abiit iterum in Galilæam. Oportebat autem eum transire per
Samariam. 5 Venit ergo in civitatem Samariæ quæ dicitur Sy-
char, iuxta prædium quod dedit Iacob Ioseph filio suo. 6 Erat
autem ibi fons Iacob. Iesus ergo fatigatus ex itinere sedebat
sic super fontem: hora erat quasi sextra. 7 Venit mulier de
Samaria haurire aquam: dicit ei Iesus Da mihi bibere. 8 Dis-
cipuli enim eius abierant in civitatem, ut cibos emerent. 9 Di-
cit ergo ei mulier illa Samaritana Quomodo tu, Iudæus cum sis,
bibere a me poscis, quæ sum mulier Samaritana? non enim
coutuntur Iudæi Samaritanis. 10 Respondit Iesus et dixit ei

Si scires donum dei, et quis est qui dicit tibi Da mihi bibere,
tu forsitan petisses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam. 11 Di-
cit ei mulier Domine, neque in quo haurire habes, et puteus
altus est: unde ergo habes aquam vivam? 12 Nunquid tu maior
es patre nostro Iacob, qui dedit nobis puteum et ipse ex eo bi-
bit et filii eius et pecora eius? 13 Respondit Iesus et dixit ei
Omnis qui bibit ex aqua hac sitiet iterum: qui autem biberit
ex aqua quam dabo ei, non sitiet in æternum, 14 sed aqua
quam dabo ei fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.
15 Dicit ad eum mulier Domine, da mihi aquam hanc, ut non
sitiam neque veniam huc haurirere. 16 Dicit ei Iesus Vade
voca virum tuum et veni huc. 17 Respondit mulier et dixit
Non habeo virum. Dicit ei Iesus Bene dixisti quia non habes
virum: 18 quinque enim viros habuisti, et nunc quem habes non
est tuus vir: hoc vere dixisti. 19 Dicit ei mulier Domine, video
quia propheta es tu. 20 Patres nostri in monte hoc adoraverunt,
et vos dicitis quia in Ierosolimis est locus ubi adorare oportet.
21 Dicit ei Iesus Mulier, crede mihi quia veniet hora quando
neque in monte hoc neque Ierosolimis adorabitis patrem. 22
Vos adoratis quod nescitis, nos adoramus quod scimus, quia sa-
lus ex Iudæis est: 23 sed venit hora et nunc est, qnando veri
adoratores adorabunt patrem in spiritu et veritate: nam et pater
tales quærit qui adorent eum. 24 Spiritus est deus, et eos qui
adorant eum in spiritu et veritate oportet adorare. 25 Dicit ad
eum mulier Scio quia Messias venit, qui dicitur Christus: cum ergo
venerit ille, nobis annunciabit omnia. 26 Dicit ei Iesus Ego
sum, qui loquor tecum. 27 Et continuo venerunt discipuli eius,
et mirabantur quia cum muliere loquebatur; nemo tamen dixit
Quid quæris aut quid loqueris cum ea? 28 Reliquit ergo hy-
driam suam mulier et abiit in civitatem, et dicit illis hominibus
29 Venite, videte hominem qui dixit mihi omnia quæcunque
feci: nunquid ipse est Christus? 30 Exierunt de civitate, et
veniebant ad eum. 31 Interea rogabant eum discipuli dicentes
Rabbi, manduca. 32 Ille autem dixit eis Ego cibum habeo man-
ducare quem vos nescitis. 33 Dicebant ergo discipuli eius ad
invicem Nunquid aliquis attulit ei manducare? 34 Dicit eis Ie-
sus Meus cibus est ut faciam voluntatem eius qui misit me, ut
perficiam opus eius. 35 Nonne vos dicitis quod adhuc quatuor
menses sunt et messis venit? Ecce dico vobis, levate oculos
vestros et videte regiones, qui albæ sunt iam ad messem. 36 Et
qui metit mercedem accipit et congregat fructum in vitam æter-
nam, ut et qui seminat simul gaudeat et qui metit. 37 In hoc
enim est verbum verum, quia alius est qui seminat, et alius est
qui metit. 38 Ego misi vos metere quod vos non laborastis:
alii laboraverunt, et vos in labores eorum introistis. 39 Ex
civitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum

propter verbum mulieris testimonium perhibentis Quia dixit mihi
omnia quæcunque feci. 40 Cum venisset ergo ad eum Samari-
tani, rogaverunt eum ut ibi maneret. Et mansit ibi duos dies,
41 et multo plures crediderunt propter sermonem eius, 42 et
mulieri dicebant Quia iam non propter tuam loquelam credimus:
ipsi enim audivimus, quia hic est vere propheta et salva-
tor mundi. 43 Post duos autem dies exiit inde et fuit in
Galilæa. 44 Ipse enim Iesus testimonium perhibuit quia pro-
pheta in sua patria honorem non habet. 45 Cum ergo venisset
in Galilæam, exceperunt eum Galilæi, cum omnia vidissent quæ
fecerat Ierosolimis in die festo: ipsi enim venerant ad diem
festum. 46 Venit ergo iterum in Cana Galilææ, ubi fecit aquam
vinum. Et erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur, Caphar-
naum: 47 hic cum audisset quia Iesus adveniret a Iudæa in
Galilæam, abiit ad eum et rogabat eum ut descenderet et salva-
ret filium eius: incipiebat enim mori. 48 Dixit ergo Iesus ad
eum Nisi signa et prodigia videritis, non creditis. 49 Dicit ad
eum regulus Domine, descende priusquam moriatur filius meus.
50 Dicit ei Iesus Vade, filius tuus vivit. Credidit homo ser-
moni quem dixit ei Iesus et ibat. 51 Iam autem eo descen-
dente servi occurrerunt ei et nunciaverunt dicentes quia filius
eius viveret. 52 Interrogabat ergo horam ab eis in qua melius
habuerit: et dixerunt ei Quia heri hora tercia reliquit eum
febris. 53 Cognovit ergo pater quia illa hora erat in qua dixit illi
Iesus Filius tuus vivit, et credidit ipse et domus eius tota.
54 Hoc iterum secundum signum fecit Iesus cum venisset a Iu-
dæa in Galilæam.

V. 1 Post hæc erat dies festus Iudæorum, et ascendit Ie-
sus Ierosolimis. 2 Est autem Ierosolimis super probatica piscina
quæ cognominatur Hebraice Bethsaida, quinque proticus habens:
3 in his iacebat multitudo magna languencium, cæcorum, claudo-
rum, aridorum, expectancium aquæ motum. 4 Angelus autem
domini secundum tempus descendebat in piscinam et movebatur
aqua: Et qui prior descendisset in piscinam post mocionem
aquæ, sanus fiebat a quacunque detinebatur infirmitate. 5 Erat
autem quidam homo ibi XXXVIII annos habens in infirmitate
sua: 6 hunc cum vidisset Iesus iacentem et cognovisset quia
multum iam tempus habet dicit ei Vis sanus fieri? 7 Respon-
dit ei languidus Domine, hominem non habeo ut cum turbata
fuerit aqua mittat me in piscinam: dum venio enim ego, alius
ante me descendit. 8 Dicit ei Iesus Surge, tolle grabatum tuum
et ambula. 9 Et statim sanus factus est homo, et sustulit gra-
batum suum et ambulabat: erat autem sabbatum in illo die.
10 Dicebant Iudæi illi qui sanatus fuerat Sabbatum est,
non licet tibi tollere grabatum tuum. 11 Respondit eis Qui me
fecit sanum, ille mihi dixit Tolle grabatum tuum et ambula.

8 — Cod. Colb.

12 Interrogaverunt ergo eum Quis est ille homo qui dixit tibi
Tolle grabatum tuum et ambula? 13 Is autem qui sanus fuerat
effectus nesciebat quis esset: Iesus enim declinavit a turba
constituta in loco. 14 Postea invenit eum Iesus in templo et
dixit illi Ecce sanus factus es: iam noli peccare, ne deterius
tibi aliquid contingat. 15 Abiit ille homo et nunciavit Iudæis
quia Iesus esset qui fecit eum sanum. 16 Propterea persequebantur
Iudæi Iesum, quia hæc faciebat in sabbato. 17 Iesus
autem respondit eis Pater meus usque modo operatur, et ego
operor. 18 Propterea ergo magis quærebant eum Iudæi interficere,
quia non solum solvebat sabbatum, sed et patrem suum
dicebat deum, æqualem se faciens deo. Respondit Iesus
et dixit eis 19 Amen amen dico vobis, non potest filius facere
a se quicquam nisi quod viderit patrem facientem: quæcunque
enim ille fecerit, hæc et filius similter facit. 20 Pater enim diligit
filium et omnia demonstrabit ei quæ ipse facit: et maiora
his demonstrabit ei opera, ut vos miremini. 21 Sicut enim pater
suscitat mortuos et vivificat, sic et filius quos vult vivificat.
22 Neque enim pater iudicat quemquam, sed iudicium omne dedit
filio, 23 ut omnes honorificent filium sicut honorificant patrem:
qui non honorificat filium, non honorificat patrem qui misit illum.
24 Amen amen dico vobis quia qui verbum meum audit et credit
ei qui misit me, habet vitam æternam, et in iudicium non
venit sed transiit a morte in vitam. 25 Amen amen dico vobis
quia venit hora et nunc est, quando mortui audiunt vocem filii
dei, et qui audierint vivent. 26 Sicut enim pater habet vitam
in semetipso, sic dedit et filio vitam habere in semetipso,
27 et potestatem dedit ei iudicium facere, qua filius hominis
est. 28 Nolite mirari hoc, quia venit hora in qua omnes qui
in monumentis sunt audient vocem eius, 29 et procedent qui
bona egerunt in resurreccionem vitæ, qui vero mala egerunt in
resurreccionem iudicii.* 30 Non possum ego a me ipso facere
quicquam: sicut audio iudico; et iudicium meum iustum est,
quia non quæro voluntatem meam sed voluntatem eius qui misit me
patris. 31 Si ego testimonium perhibeo de me, testimonium meum
non est verum: 32 alius est qui testimonium perhibet de me,
et scio quia verum est testimonium de me. 33 Vos misistis ad
Iohannem, et testimonium perhibuit veritati: 34 ego autem non
ab homine testimonium accipio, sed hæc dico ut vos salvi sitis.
35 Ille erat lucerna ardens et lucens, vos autem voluistis exultare
ad horam in luce eius. 36 Ego autem habeo testimonium
maius Iohanne: opera enim quæ dedit mihi pater ut perficiam ea,
ipsa opera quæ ego facio testimonium perhibent de me quia pater
me misit. 37 Et qui misit me pater, ipse testimonium perhibuit
de me: neque vocem eius unquam audistis, neque speciem
eius vidistis, 38 et verbum eius non habetis in vobis manens:

quia quem misit ille, huic vos non creditis. 39 Scrutamini
scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere, et
illæ sunt quæ testimonium perhibent de me; 40 et non vultis
venire ad me ut vitam habeatis. 41 Claritatem ab hominibus
non accipio, 42 sed cognovi vos quia dileccionem dei non ha-
betis in vobis. 43 Ego veni in nomine patris mei, et non ac-
cipitis me: si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.
44 Quomodo potestis vos credere, qui gloriam ab invicem acci-
pitis, et gloriam quæ a solo est deo non quæritis? 45 Nolite
putare quia ego accusaturus sim vos apud patrem: est qui ac-
cuset vos Moyses, in quo vos speratis. 46 Si enim crederetis
Moysi, crederetis forsitan et mihi: de me enim ille scripsit. 47 Si
autem illius litteris non creditis, quomodo meis verbis creditis?
VI. 1 Post hæc abiit Iesus trans mare Galilææ quod est
Thiberiadis: 2 sequebatur autem eum multitudo magna, quia vi-
debant signa quæ faciebat super his qui infirmabantur. 3 Subiit ergo
in montem Iesus, et ibi sedebat cum discipulis suis. 4 Erat autem
proximum pascha, dies festus Iudæorum. 5 Cum sublevasset
ergo oculos Iesus et vidisset quia multitudo maxima venit ad
eum, dicit ad Philippum Unde ememus panes ut manducent hi?
6 Hoc autem dicebat temptans eum: ipse enim sciebat quid esset
facturus. 7 Respondit ei Philippus Ducentorum denariorum pa-
nes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat.
8 Dicit ei unus ex discipulis eius, Andreas frater Simonis
Petri, 9 Est puer unus hic qui habet quinque panes ordeacios
et duos pisces: sed hæc quid sunt inter tantos? 10 Dixit
ergo Iesus Facite homines discumbere. Erat autem fænum
in loco. Discubuerunt ergo viri numero quasi quinque millia.
11 Accepit ergo panes Iesus, et cum gracias egisset distribuit
discumbentibus, similiter et ex piscibus quantum volebant. 12
Ut autem impleti sunt dixit discipulis suis Colligite quæ supera-
verunt fragmenta, ne pereant. 13 Collegerunt ergo et impleve-
runt XII cophinos fragmentorum ex quinque panibus or-
diaciis, quæ superfuerunt his qui manducaverant. 14 Illi ergo
homines cum vidissent quod fecerat signum, dicebant Quia hic
est vere propheta qui venturus est. 15 Iesus ergo cum cogno-
visset quia venturi essent ut raperent eum et facerent eum re-
gem, fugit iterum in montem ipse solus. Ut autem sero factum
est, descenderunt discipuli eius ad mare, 17 et cum ascendis-
sent navem, venerunt trans mare in Capharnaum. Et tenebræ
iam factæ erant, et non venerat ad eos Iesus, 18 mare autem
vento magno flante exsurgebat. 19 Cum remigassent ergo
quasi stadia XXV aut XXX, vident Iesum ambulantem
super mare et proximum navi fieri, et timuerunt. 20 Ille autem
dicit eis Ego sum, nolite timere. 21 Voluerunt ergo accipere

eum in navi et statim fuit navis ad terram quam ibant. 22 Altera die turba quæ stabat trans mare vidit quia navicula alia non erat ibi nisi una, et quia non introisset cum discipulis suis Iesus in navem sed soli discipuli eius abissent, 23 aliæ vero supervenerunt naves a Tiberiade iuxta locum ubi manducaverant panem gracias agentes domino: 24 cum ergo vidisset turba quia Iesus non esset ibi neque discipuli eius, ascenderunt in naviculas et venerunt Capharnaum quærentes Iesum. 25 Et cum invenissent eum trans mare, dixerunt ei Rabbi, quando huc venisti? 26 Respondit eis Iesus et dixit Amen amen dico vobis, quæritis me non quia audistis signa, sed quia manducastis ex panibus et saturati estis. 27 Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis vobis dabit: hunc enim pater signavit deus. 28 Dixerunt ergo ad eum Quid faciemus ut operemur opera dei? 29 Respondit Iesus et dixit eis Hoc est opus dei ut credatis in eum quem misit ille. 30 Dixerunt ergo ei Quod ergo tu facis signum ut videamus et credamus tibi? quid operaris? 31 Patres nostri manna manducaverunt in deserto, sicut scriptum est Panem de cælo dedisti eis manducare. 32 Dixit ergo eis Iesus Amen amen dico vobis, Non Moyses dedit vobis panem de cælo, sed pater meus dat vobis panem de cælo verum. 33 Panis enim dei est qui descendit de cælo et dat vitam mundo. 34 Dixerunt ergo ad eum Domine, semper da nobis panem hunc. 35 Dixit autem eis Iesus Ego sum panis vitæ: qui venit ad me non esuriet, qui credit in me non sitiet unquam. 36 Sed dixi vobis quia et vidistis me et non creditis. 37 Omne quod dat mihi pater ad me veniet, et eum qui venit ad me non eiiciam foras, 38 quia descendi de cælo non ut faciam voluntatem meam sed voluntatem eius qui misit me. 39 Hæc est autem voluntas eius qui misit me patris, ut omne quod dedit mihi non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die. 40 Hæc est enim voluntas patris mei qui misit me, ut omnis qui videt filium et credit in eum habeat vitam æternam, et resuscitabo ego eum in novissimo die. 41 Murmurabant ergo Iudæi de illo, quia dixisset Ego sum panis qui de cælo descendi, 42 et dicebant Nonne hic est Iesus filius Ioseph, cuius nos novimus patrem et matrem? quomodo ergo dicit hic quia de cælo descendit? 43 Respondit ergo Iesus et dixit eis Nolite murmurare in invicem. 44 Nemo potest venire ad me nisi pater qui misit me traxerit eum, et ego resuscitabo eum in novissimo die. 45 Est scriptum in prophetis Et erunt omnes docibiles dei. Omnis qui audivit a patre et didicit venit ad me. 46 Non quia patrem vidit quisquam nisi is qui est a deo, hic vidit patrem. 47 Amen amen dico vobis, Qui credit in me habet vitam æternam. 48 Ego sum panis vitæ.

49 Patres vestri manducaverunt in deserto manna et mortui sunt.
50 hic est panis de cælo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit non moriatur. 51 Ego sum panis vivus qui de cælo
descendi: 52 si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum: et panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita.
53 Litigabant ergo Iudæi ad invicem dicentes Quomodo potest
hic nobis carnem suam dare ad manducandum? 54 Dixit ergo
eis Iesus Amen amen dico vobis, Nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.
55 Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet
vitam æternam, et ego rususcitabo eum in novissimo die. 56
Caro enim mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.
57 Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me
manet et ego in illo. 58 Sicut misit me vivens pater et ego
vivo propter patrem, et cui manducat me et ipse vivet propter
me. 59 Hic est panis qui de cælo descendit, non sicut manducaverunt patres vestri manna et mortui sunt: qui manducat hunc
panem, vivet in æternum. 60 Hæc dixit in synagoga docens in
Capharnaum. 61 Multi ergo audientes ex discipulis eius dixerunt Durus est hic sermo: quis potest eum audire? 62 Sciens
autem Iesus et ipsum quia murmurarent de hoc discipuli eius,
dixit eis Hoc vos scandalizat? 63 Si ergo videritis filium hominis ascendentem ubi erat prius? 64 Spiritus est qui vivificat,
caro non prodest quicquam: verba quæ locutus sum vobis
spiritus et vita sunt. 65 Sed sunt ex vobis quidam qui non
credunt. Sciebat enim ab inicio Iesus qui essent non credentes,
et qui credituri essent in eum. 66 Et dicebat Propterea dixi vobis Quia nemo potest venire ad me nisi datum ei fuerit desuper a
patre meo. 67 Ex hoc ergo multi discipulorum eius abierunt retro,
et iam non cum illo ambulabant. 68 Dixit ergo Iesus illis XII
discipulis Nunquid et vos vultis ire? 69 Respondit ei Simon Petrus Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes:
70 et nos credidimus et cognovimus quia tu es Christus filius
dei. 71 Et respondit Iesus Nonne ego vos XII elegi? et
unus ex vobis diabolus est. 72 Dicebat autem de Iuda Simone Scariothis, hic enim erat traditurus eum, cum unus esset
ex XII.

VII. 1 Post hæc ambulabat Iesus in Galilæam: non enim
volebat in Iudæam ambulare, quoniam quærebant eum Iudæi interficere. 2 Erat autem prope pascha dies festus Iudæorum. 3 Dixerunt autem ad eum fratres eius Transi hinc et vade in Iudæam, ut et discipuli tui videant opera quæ facis: 4 nemo
enim in occulto quid facit et quærit ipse in palam esse: si hæc
facis, manifesta te ipsum huic mundo. 5 Neque enim tunc
fratres eius credebant in eum. 6 Dixit ergo eis Iesus Tempus
meum nondum advenit, tempus autem vestrum semper est para-

tum. 7 Non potest mundus odire vos, me autem odit, quoniam ego
testimonium perhibeo de illo quia opera eius mala sunt. 8 Vos
ascendite ad diem festum: ego non ascendam ad diem festum
hunc, quia meum tempus nondum impletum est. 9 Hæc cum
dixisset Iesus mansit in Galilæam. 10 Ut autem ascenderunt
fratres eius, tunc et ipse ascendit ad diem festum, non manifeste
sed quasi in occulto. 11 Iudæi ergo quærebant eum in die festo
et dicebant Ubi est ille? 12 Et murmur multus de illo erat in
turba. Quidam enim dicebant Quia bonus est: alii autem dice-
bant Non sed seducit populum: 13 nemo tamen palam loque-
batur de illo propter metum Iudæorum. 14 Iam autem die festo
mediante ascendit Iesus in templum et docebat. 15 Mirabantur
ergo Iudæi dicentes Quomodo hic litteras novit cum non didi-
cerit? 16 Et respondit Iesus et dixit eis Mea doctrina non est
mea, sed eius qui me misit. 17 Si quis voluerit voluntatem
eius facere cognoscet doctrinam utrum ex deo est, an ego a me
ipso loquar. 18 Qui a semetipso loquitur, gloriam suam propriam
quærit: qui autem quærit gloriam eius qui misit illum, hic verax
est, et iniusticia non est in illo. 19 Nonne Moyses dedit vobis
legem? et nemo ex vobis facit legem. 20 Quid me quæritis in-
terficere? Respondit turba et dixit Demonium habes: quis te
quærit interficere? 21 Respondit eis Iesus et dixit Unum opus
feci, et omnes miramini. 22 Propterea Moyses dedit vobis cir-
cumcisionem, non quia ex Moyse est sed ex patribus, et in sab-
bato circumciditis hominem. 23 Si circumcisionem accipit homo
in sabbato ut non solvatur lex Moysi, mihi indignamini quia to-
tum hominem sanum feci in sabbato? 24 Nolite iudicare secun-
dum faciem, sed iustum iudicium iudicate. 25 Dicebant ergo
quidam ex Ierosolimis Nonne hic est quem quærunt occidere?
26 et ecce palam loquitur et nichil ei dicunt: nunquid forte vere
cognoverunt principes quia ipse est Christus? 27 Sed hunc scimus
unde sit; Christus autem cum venerit, nemo scit unde sit.
28 Clamabat ergo in templo docens Iesus et dicens Et me nostis
et scitis unde sim: et a me ipso non veni, sed est verus qui
me misit, quem vos non scitis: 29 ego autem novi illum, quia ab
ipso sum et ipse me misit. 30 Quærebant ergo eum apprehen-
dere, et nemo misit in illum manus, quia nondum venerat hora
eius. 31 De turba autem multi crediderunt in eum, et dicebant
Christus cum venerit, nunquid plura signa faciet quam quæ hic
facit? 32 Audierunt autem Pharisæi turbam murmurantem de illo et
miserunt principes et Pharisæi ministros ut apprehenderent illum.
33 Dixit ergo Iesus ad eos Adhuc modicum tempus vobiscum
sum, et vado ad illum qui me misit. 34 Quæritis me et non
invenietis, et quo ego vado non potestis venire. 35 Dixerunt
ergo Iudæi inter se Quo hic iturus est, quia non inveniemus
eum? nunquid in dispersionem gencium incipet ire et docere

gentes? 36 Quis est hic sermo quem dixit Quæritis me et non
invenietis, et ubi ego sum vos non potestis venire? 37 In novissi-
mo autem die illo, magno die festivitatis stabat Iesus et clamabat
dicens Qui sitit, veniat ad me et bibat. 38 Et qui credit in me,
sicut dixit scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ vivæ.
39 Hoc autem dicebat de spiritu quem incipiebant accipere cre-
dentes in eum: nondum enim erat spiritus datus, quia Iesus nondum
fuerat clarificatus. 40 De turba autem cum audissent hos ser-
mones eius, dicebant Hic vere propheta est; 41 alii autem
dicebant Hic est Christus; quidam autem dicebant Nunquid a
Galilæa Christus venit? 42 Nonne scriptura dicit Quia ex semine
David et a Bethleem castello, ubi erat David, venit Christus?
43 Dissensio itaque facta est in turba propter illum. 44 Qui-
dam autem ex illis volebant apprehendere eum, sed nemo misit
super illum manus. 45 Venerunt ergo ministri ad principes
sacerdotum et Pharisæos, quibus illi dixerunt Quare non adduxi-
stis eum? 46 Responderunt ministri et dixerunt illis Nunquam
sic locutus est quisquam homo sicut hic loquitur. 47 Respon-
derunt eis Pharisæi Nunquid et vos seducti estis? 48 Nunquid
aliquis ex principibus credidit in eum aut ex Pharisæis? 49 Sed
turba hæc quæ non novit legem maledicti sunt. 50 Dicit Nico-
demus ad eos, ille qui venerat ad eum nocte prius, qui erat
unus ex ipsis, 51 Nunquid lex nostra iudicat hominem nisi au-
dierit primum ab ipso et cognoverit primum quid fecit? 52 Re-
sponderunt ei et dixerunt Nunquid et tu Galilæus es? Scrutare
scripturas et vide quia propheta a Galilæa non surgit. 53 Et
duxerunt se unusquisque in domum suam.
VIII. 1 Iesus autem ascendit in montem oliveti. 2 Et
mane cum factum esset iterum venit in templo, et universus
populus conveniebat ad eum et cum consedisset docebat eos.
3 Scribæ autem et Pharisæi adduxerunt ad eum mulierem in
adulterio deprehensam quam cum statuissent in medio 4 dixerunt
ad Iesum Magister, hæc mulier deprehensa est in adulterio.
5 In lege autem præcepit nobis Moyses ut qui in adulterio depre-
henditur lapidetur; tu autem quid dicis de ea? 6 Hæc ideo dicebant
temptantes eum, ut haberent causam accusandi eum. Iesus autem
inclinato capite digito scribebat in terra. 7 Cum autem perse-
verarent interrogantes eum, erexit se et dicit eis Qui sine pec-
cato est vestrum, primus in illam lapidem iaciat. 8 Et iterum
se inclinans scribebat in terra. 9 Illi igitur cum audissent pau-
latim secedebant singuli incipientes a senioribus, omnes recesse-
runt et relictus est solus et ecce mulier illa in medio erat
stans. 10 Cumque se erexisset Iesus dixit ad mulierem Ubi
sunt? nemo te condemnavit? 11 Quæ dixit Nemo, domine. Di-
xit autem Iesus Nec ego te condemnabo: vade et ex hoc iam
noli peccare. 12 Iterum ergo eis locutus est Iesus dicens Ego

sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulabit in tenebris sed
habebit lumen vitæ. 13 Dixerunt ergo illi Pharisæi Tu de te
testimonium perhibes: testimonium tuum non est verum. 14 Re-
spondens Iesus dixit eis Et si ego testimonium perhibeo de me
ipso, verum est testimonium meum, quia scio unde veni et quo
vado: vos autem nescitis unde veni et quo vado. 15 Vos
secundum carnem iudicatis, ego neminem iudico: 16 sed et si
iudico ego, iudicium meum verum est, quia solus non sum, sed
ego et qui me misit pater. 17 Sed et in lege scriptum est Quia
duorum hominum testimonium verum est. 18 Ego sum qui testi-
monium perhibeo de me ipso, et testimonium perhibet de me is
qui me misit pater. 19 Dicebant ergo ei Ubi est pater tuus? Re-
spondit Iesus Neque me nostis neque patrem meum scitis: si
enim me sciretis et patrem meum forsitan sciretis. 20 Hæc
verba locutus est in gazophilacio docens in templo et nemo appre-
hendit eum, quia nondum venerat hora eius. 21 Dixit ergo
iterum Iesus eis Ego vado et quæritis me, et in peccato vestro
moriemini, quo ego vado vos non potestis venire. 22 Dicebant
ergo Iudæi Nunquid interficiet se ipsum, quia dicit Quo ego vado
vos non potestis venire? 23 Et dicebat eis Vos de deorsum
estis, ego de supernis sum: vos de hoc mundo estis, ego non
sum de hoc mundo. 24 Dixi ergo vobis quia moriemini in
peccatis vestris: si enim non credideritis quia ego sum, morie-
mini in peccatis vestris. 25 Dicebant ergo ei Tu quis es? Dixit
eis Iesus Inicium quod et loquor vobis. 26 Multa habeo de
vobis loqui et iudicare: sed qui misit me verax est, et ego quæ
audivi ab eo, hæc loquor in mundo. 27 Et non cognoverunt
quia patrem eis dicebat deum. 28 Dixit ergo eis Iesus Cum exalta-
veritis filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum, et a me
ipso nichil facio, sed sicut docuit me pater, hæc loquor. 29 Et
qui me misit mecum et non reliquit me solum, quia ego quæ
placita sunt ei facio semper. 30 Hæc illo loquente multi credi-
derunt in eum. 31 Dicebat ergo Iesus ad eos qui crediderunt
ei Iudæos Si vos manseritis in verbo meo, vere discipuli mei
eritis, 32 et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos. 33 Respon-
derunt ergo Iudæi dicentes Semen Abrahæ sumus et nemini servivi-
mus unquam: quomodo tu dicis Liberi eritis? 34 Respondit eis Ie-
sus Amen amen dico vobis quia omnis qui facit peccatum ser-
vus est peccati; 35 servus autem non manet in domo in æter-
num, filius manet in æternum: 36 si ergo filius vos liberaverit,
vere liberi eritis. 37 Scio quia filii Abrahæ estis: sed quæritis
me interficere, quia sermo meus non est in vobis. 38 Ego quod
vidi apud patrem meum hoc loquor, et vos itaque quod vidistis
apud patrem vestrum facitis. 39 Qui responderunt ei et dixerunt
Pater noster Abraham est. Dicit eis Iesus Si filii Abrahæ essetis, opera
Abrahæ faceritis. 40 Nunc autem quæritis me interficere, homi-

nem qui veritatem locutus sum vobis quam audivi a deo: hoc
Abraham non fecit. 41 Vos facitis opera patris vestri. Nos
ex fornicatione non sumus, patrem unum habemus deum. 42
Dicit eis Iesus Si deus pater vester esset, diligeritis utique
me: quia ego ex deo processi et veni: non enim a me ipso veni,
sed ille me misit. 43 Quare loquelam meam non cognoscitis?
quia non potestis audire meum sermonem. 44 Vos ex patre
diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere: ille enim
homicida erat ab inicio et in veritate non stetit, quia non est
veritas in eo: qui loquitur mendacium, ex suis propriis loquitur,
quia mendax est sicut et pater eius. 45 Ego quia veritatem
dico non creditis mihi. 46 Quis ex vobis arguit me de peccato?
Si veritatem dico, quare vos non creditis mihi? 47 Qui ex deo
est verba dei audit: propterea vos non audistis, quia ex deo
non estis. 48 Responderunt Iudæi et dixerunt ei Nonne nos
bene dicimus quia Samaritanus es tu et demonium habes?
49 Respondit Iesus Ego demonium non habeo, sed honorifico
patrem meum, et vos me non honoratis. 50 Ego autem non
quæro claritatem meam: est qui quærit et iudicet. 51 Amen
amen dico vobis, Si quis sermonem meum servaverit, non videbit
mortem in æternum. 52 Dixerunt ergo Iudæi Nunc cognovimus
quia demonium habes: Abraham mortuus est et prophetæ,
et tu dicis Si quis sermonem meum servaverit, non gustabit
mortem 53 nunquid tu maior es quam Abraham, qui mor-
tuus est? et prophetæ mortui sunt: quem te ipsum facis?
54 Respondit Iesus Si ego clarificavero me ipsum, claritas mea
nichil est: est pater meus qui clarificat me, quem vos dicitis
quia deus vester est, 55 et non cognovistis eum, ego autem
scio eum. Et si dixero quia non scio eum, ero similis vobis
mendax: sed scio eum et sermonem eius servo. 56 Abraham
pater vester exultavit ut videret diem meum, vidit et gavisus
est. 57 Dixerunt ergo Iudæi ad eum Quinquaginta annos non-
dum habes et Abraham vidisti? 58 Dixit eis Iesus Amen
dico vobis, anteAbraham ego sum. 59 Tulerunt ergo lapides
ut iacerent in illum: Iesus autem abscondit se et exivit de
templo.

IX. 1 Et præteriens Iesus videt hominem cecum a nativitate
sua. 2 Et interrogaverunt eum discipuli eius dicentes Rabbi,
quis peccavit, iste an parentes eius, ut cecus nasceretur? 3 Re-
spondit Iesus Neque hic peccavit neque parentes eius, sed ut
manifestentur opera dei in illo. 4 Me oportet operari opera
eius qui me misit, dum dies est: venit nox quando nemo potest
operari. 5 Cum in hoc mundo sum, lux huius mundi sum.
6 Hæc cum dixisset, expuit in terram et fecit lutum ex sputo
et superunxit eum super oculos eius, 7 et dixit ei Vade et
lava in natatoriam Siloe, quod interpretatur missus. Abiit

et lavit, et venit videns. 8 Vicini ergo eius qui noverant eum
prius quod cecus et mendicus esset dicebant Nonne hic est qui
sedebat et mendicabat? alii dicebant Hic est: 9 alii autem dice-
bant Quia similis est illi: ille autem dicebat Ego sum. 10 Dice-
bant ergo ei Quomodo aperti sunt tibi oculi? 11 Respondit ille
Homo qui dicitur Iesus lutum fecit et superunxit me, et dixit
mihi Vade in Siloa et lava occulos tuos et abii et lavi et video.
12 Dixerunt ergo ei Ubi est ille? Dixit Nescio. 13 Et ad-
duxerunt eum ad Pharisæos, illum qui cecus fuerat videntem;
14 erat autem sabbatum in qua die fecit lutum Iesus et aperuit
oculos eius. 15 Iterum ergo interrogabant eum Pharisæi Quo-
modo vidisti? Ille autem dixit eis Lutum imposuit mihi super oculos,
et lavi et ecce video. 16 Dicebant ergo quidam ex Pharisæis Non est
hic homo a deo, qui sabbatum non custodit. Alii autem dicebant
Quomodo potest homo peccator talia signa facere? Et dissensio
erat inter eos. 17 Dicebant ergo illi ceco Tu quid dicis de eo
quod aperuit oculos tuos? Ille autem dixit Quia propheta est.
18 Non credebant ergo Iudæi de illo, quoniam cecus fuit et
videt, donec vocaverunt parentes eius, 19 et interrogaverunt eos
Hic est filius vester, quem vos dicitis quia cecus natus est?
quomodo ergo videt modo? 20 Responderunt eis parentes eius
et dixerunt Scimus quia hic est filius noster et quia cecus natus
est: 21 quomodo autem videt nescimus, aut quis aperuit oculos
eius nos ignoramus: ipsum interrogate, etatem habet, ipse pro se
loquatur. 22 Hæc autem dixerunt parentes eius quia timebant Iu-
dæos: iam enim decreverant Iudæi ut si quis eum confiteretur
Christum, extra sinagogam fieret. 23 Propterea parentes eius
dixerunt Etatem habet, ipsum interrogate. 24 Vocaverunt ergo
hominem iterum qui fuerat cecus, et dixerunt ei Da honorem
deo: nos scimus quia hic homo peccator est. 25 Dixit ergo ille
Si peccator est nescio: unum tantum scio quia cecus eram et modo
video. 26 Dixerunt ergo illi Quid fecit tibi? et quomodo
aperuit tibi oculos? 27 Respondit eis Dixi vobis iam et audistis:
quid iterum vultis audire? nunquid et vos vultis discipuli eius
fieri? 28 Maledixerunt ergo eum et dixerunt Tu discipulus illius
sis, nos Moysi discipuli sumus. 29 Scimus quia Moysi locutus
est deus, hunc autem nescimus unde sit. 30 Respondit ille homo
et dixit In hoc enim mirabile est, quod vos nescitis unde
sit, et aperuit oculos meos: 31 scimus quia peccatores deus
non exaudit, sed si quis dei cultor est et voluntatem eius facit,
hunc exaudit. 32 A sæculo nunquam auditum est quia aperuit
aliquis oculus ceci nati: 33 nisi esset hic a deo, non poterat
facere quidquam. 34 Responderunt et dixerunt ei In peccatis
natus es totus, et tu doces nos? Et eiecerunt eum foras.
35 Audivit Iesus quia eiecerunt illum foras, et cum invenisset

eum, dixit ei Tu credis in filium dei? 36 Respondit ille et
dixit Quis est, domine, ut credam in eum? 37 Et dixit illi
Iesus Et vidisti illum, et qui loquitur tecum ipse est. 38 At
ille ait Credo, domine, et procidens adoravit eum. 39 Dixit ei
Iesus In iudicium ego veni in hunc mundum, ut qui non vident
videant, et qui vident ceci fiant. 40 Et audierunt ex Pharisæis
qui cum ipso erant, et dixerunt ei Nunquid et nos ceci sumus?
41 Dixit eis Iesus Si cesi essetis, non haberetis peccatum, sed
dicitis Quia videmus, peccatum vestrum manet.
X. 1 Amen dico vobis, qui non intrat per ianuam
in cortem ovium sed ascendit alia parte ille fur est et
latro: 2 qui autem intrat per ianuam, hic pastor est ovium.
3 Huic hostiarius aperit, et oves vocem eius audiunt, et
suas oves vocat nominatim et producit illas. 4 Cum autem
oves suas omnes produxerit, ante ipsas vadet, et oves illum
sequuntur, quia sciunt eius vocem: 5 alienum autem non se-
quuntur, sed fugiunt ab eo, quia nesciunt eius vocem. 6 Hoc
proverbium dixit illis Iesus: illi autem non cognoverunt quod
loquebatur illis. 7 Dixit ergo illis iterum Iesus Amen amen
dico vobis Quia ego sum hostium ovium. 8 Omnes quotquot vene-
runt fures sunt et latrones, sed non audierunt eos oves. 9 Ego
sum hostium: per me si quis introierit, salvabitur, et introibit et
exiet, et pascua inveniet. 10 Fur non venit nisi ut furetur et
occidat et perdat: ego veni ut vitam habeant et abundancius ha-
beant. 11 Ego sum pastor bonus. Pastor bonus animam suam
dat pro ovibus: 12 mercennarius autem et qui non est pastor,
cuius non sunt oves propriæ, videt lupum venientem et dimittit
oves et fugit, et lupus rapit eas et disperguntur oves; 13 mercen-
narius autem fugit quia conducticius est, et non pertinet ad eum
de ovibus. 14 Ego sum pastor bonus et cognosco oves meas et
cognoscunt me meæ, 15 sicut cognovit me pater et ego cognosco
patrem, et animam meam pono pro ovibus meis. 16 Et alias habeo
oves quæ non sunt de hoc ovili: et illas oportet me adducere,
et vocem meam audient, et erit unus grex et unus pastor.
17 Propterea me pater diligit, quoniam ego animam meam pono
pro ovibus, et iterum sumam eam. 18 Et nemo tollit eam a
me, sed ego pono eam a me ipso; potestatem habeo ponendi
eam, et potestatem habeo iterum tollendi eam: hoc præceptum
accepi a patre meo. 19 Dissensio iterum facta est inter Iudæos
propter sermones istos. 20 Hæc dicebant multi ex ipsis Demo-
nium habet et insanit: quid eum auditis? 21 Alii dicebant
Hæc verba non sunt demonium habentis: nunquid demonium
potest cecorum oculos aperire? 22 Facta est autem dedicacio
in Ierosolomis, [et hiems erat, 23 et ambulabat Iesus in porticu
Salomonis in templo]. 24 Et circumdederunt eum Iudæi et dice-
bant Usquequo animam nostram suspendis? si tu es Christus,

dic nobis palam. 25 Respondit eis Iesus Loquor vobis palam,
et non creditis: opera quæ ego facio in nomine patris mei, hæc
testimonium perhibent de me; 26 sed vos non creditis mihi,
non enim estis ex ovibus meis. 27 Oves meæ vocem meam au-
diunt, et ego cognosco eas et secuntur me, 28 et ego vitam
æternam do illis, et non peribant in æternum, et nemo rapit
eas de manu mea. 29 Pater quod dedit mihi, maius omni-
bus est, et nemo potest rapere illud de manu patris mei. 30 Ego
et pater unum sumus. 31 Sustulerunt ergo lapides Iudæi ut
lapidarent eum. 33 Respondit eis Iesus dicens Multa opera
bona ostendi vobis a patre meo: propter quod eorum opus lapi-
datis me? 33 Responderunt ei Iudæi De bono opere non te
lapidamus sed de blasphemia, quia tu, homo cum sis, facis te
ipsum deum. 34 Respondit eis Iesus Nonne scriptum est in
lege Quia ego dixi Dii estis? 35 Si ergo illos dixit deos, ad
quos sermo dei fiebat, et non potest solvi scriptura; 36 quem
pater sanctificavit et misit in hunc mundum, vos dicitis quia
blasphemo, quia dixi Filius dei sum? 37 Si non facio opera
patris mei, nolite mihi credere: 38 quod si facio, et non vultis
mihi credere, vel operibus credite, et cognoscite quia in me est
pater et ego in patre. 39 Quærebant ergo eum apprehendere Iu-
dæi et exiit de manibus eorum. 40 Et abiit iterum trans Ior-
danem in eum locum ubi erat Iohannes baptizans primum, et
manebat illic. 41 Et multi veniebant ad illum et dicebant Io-
hannes quidem nullum signum fecit, 42 omnia autem quæ dixit
Iohannes de hoc vera sunt. Et multi crediderunt in eum.

XI. 1 Erat autem infirmus quidam Lazarus nomine, a
Bethania, de castello Mariæ et Marthæ sororis eius. 2 Maria
autem erat quæ unxit dominum unguento et tersit pedes eius
capillis suis, cuius frater Lazarus infirmabatur. 3 Miserunt ergo
sorores eius ad Iesum dicentes Domine, ecce quem amas infirma-
tur. 4 Audivit autem Iesus et ait illis Hæc infirmitas non est
ad mortem sed pro gloria dei, ut clarificetur filius eius per
ipsum. 5 Diligebat autem Iesus Lazarum et sororem eius.
6 Ut ergo audivit quia infirmatur, tunc quidem Iesus mansit in
eodem loco duobus diebus: 7 deinde post hæc dicit discipulis
suis Eamus iterum in Iudæam. 8 Dicunt ei discipuli eius
Rabbi, nunc quærebant te lapidare Iudæi, et iterum vadis illuc?
9 Et respondit Iesus et dixit eis Nonne XII horæ sunt diei? Si
quis ambulaverit in die, non offendit, quia lucem huius mundi videt:
10 quod si quis ambulaverit in nocte, offendit, quia lux non est
in eo. 11 Hæc dixit, postea ait illis Lazarus amicus noster
dormit: sed vado ut a somno excitem eum. 12 Dixerunt ergo ei
discipuli eius Domine, si dormit salvus erit. 13 Dixerat autem
Iesus de morte eius, illi autem putaverunt quia de somno dicit.

14 Tunc ergo dicit eis Iesus Manifeste Lazarus mortuus est:
15 et gaudeo propter vos, ut credatis, quia non ibi fui: sed
eamus ad eum. 16 Ait ergo Thomas qui dicitur Didimus Eamus
et nos, et moriamur cum illo. 17 Venit ergo Iesus et invenit
eum quatriduum iam in monumento habentem. 18 Erat autem
Bethania iuxta Ierosolimam fere a stadiis XII. 19 Multi autem
ex Iudæis venerant ad Martham et Mariam, ut eas consolarentur
de fratre suo. 20 Martha ergo ut audivit quia Iesus venit,
occurit illi: Maria autem domi sedebat. 21 Dixit ergo Martha
ad Iesum Domine, si hic fuisses, frater meus non esset mortuus:
22 sed et nunc scio quia quæcunque petieris a deo dabit tibi
deus. 23 Dicit ei Iesus Resurget frater tuus. 24 Dicit ei
Martha Scio quia resurget in resurreccione in novissima die.
25 Dixit ei Iesus Ego sum resurreccio et vita: qui credit in
me, etiam si mortuus fuerit vivet; 26 et omnis qui vivit et cre-
dit in me, non morietur in æternum. Credis hoc? 27 At illi
Martha Utique, domine, ego credidi quia tu es Christus filius
dei, qui in hunc mundum venisti. 28 Hæc cum dixisset, vocavit
Mariam sororem suam silencio dicens Magister adest et vocat te.
29 Illa ut audivit, surrexit cito et venit ad illum: 30 nondum
enim venerat Iesus in castellum, sed erat adhuc in illo loco ubi
occurrit ei Martha. 31 Iudæi autem qui erant cum ea in
domo qui eam consolabantur, cum vidissent Mariam quoniam cito
surrexit et exivit, secuti sunt eam dicentes Quia vadit ad monu-
mentum ut ploret ibi. 32 Maria ergo ut venit ubi erat Iesus,
venit ad eum cecidit ad pedes eius et dixit ei Domine, si hic
esses non esset mortuus frater meus. 33 Iesus ergo ut vidit eam
plorantem et Iudæos flentes qui venerant cum ea, fremuit spiritu
et turbavit se ipsum, 34 et dixit Ubi posuistis eum? Dicunt ei
Domine, veni et vide. 35 Et lacrimatus est Iesus. 36 Et di-
xerunt Iudæi Ecce quomodo amabat eum. 37 Quidam autem
dixerunt ex illis Non poterat hic qui aperuit oculis ceci facere
ne hic moreretur? 38 Iesus autem iterum fremens in semet-
ipso venit ad monumentum: erat autem spelunca et lapis super-
positus. 39 Et ait Iesus Tollite lapidem. Dicit ei Martha
Domine, iam fetet, quatriduum enim habet. 40 Dicit ei Iesus
Non dixi tibi quia si credideris videbis gloriam dei? 41 Tule-
runt ergo lapidem: Iesus autem levavit oculos in cælum et dixit
Pater, gracias ago tibi quia audisti me. 42 Ego sciebam quia
semper me audis, sed propter turbam circumstantem dixi, ut cre-
dant quia tu me misisti. 42 Et cum hæc dixisset, voce magna
clamavit Lazare, veni foras. 44 Et exit qui mortuus erat de
monumento ligatus pedes et manus institis, et facies eius sudario
erat ligata. Dicit illis Iesus Solvite illum et sinite abire.
45 Multi ergo ex Iudæis, qui venerant ad Mariam et viderant
quæ fecit, crediderunt in eum: 46 quidam vero ex ipsis abierunt

ad Pharisæos et dixerunt eis quæ fecit Iesus. 47 Collegerunt ergo
principes sacerdotum et Pharisæi concilium et dicebant Quid facie-
mus, quod hic homo talia signa facit? 48 Si relinquerimus eum sic,
omnes credent in eum, et venient Romani et tollent nobis locum
et gentem. 49 Unus autem ex ipsis, Chaiphas nomine, cum esset
pontifex anni illius, dixit illis Vos nescitis quidquam, 50 neque
cogitatis quia expedit nobis ut unus moriatur homo pro populo et
non tota gens pereat. 51 Hoc autem a semetipso non dicebat
sed cum esset pontifex anni illius, prophetavit quia incipiebat
Iesus mori pro gente, 52 et non tantum pro gente, sed ut
filios dei qui dispersi erant colligerentur in unum. 53 Ab illo
ergo die cogitaverunt Iudæi ut interficerent eum. 54 Iesus ergo
iam non in palam ambulabat apud Iudæos, sed abiit in regionem
iuxta desertum, in civitatem quæ dicitur Effrem, et ibi mora-
batur cum discipulis suis. 55 Prope autem erat pascha Iudæorum,
ascenderunt ergo multi in Ierosolimam de regione illa ante pascha,
ut purificarent semetipsos. 56 Quærebant ergo Iesum, et colloque-
bantur ad invicem in templo stantes et dicentes Putatis, quia non
ad diem festum venit? Dederant autem principes sacerdotum
et Pharisæi præceptum ut si quis cognovisset ubi esset, ut in-
dicarent et comprehenderent eum.

XII. 1 Iesus ergo ante sex dies paschæ venit in Bethani-
am, ubi erat Lazarus quem suscitavit mortuum. 2 Et fe-
cerunt ei cænam ibi, et Martha ministrabat ei, et Lazarus
unus erat ex discumbentibus cum Iesu. 3 Maria ergo accepit
libram unguenti pistici pretiosi et unxit pedes Iesu et ex-
tersit capillis suis pedes eius, et domus repleta est odore un-
guenti. 4 Et dixit unus ex discipulis eius Iudas Simon Scariotha,
qui incipiebat eum tradere. 5 Quare hoc unguentum non veniit
denariis trecentis et datum est pauperibus? 6 Hoc autem dixit
non quod de pauperibus cura illi esset, sed quia fur erat, et
loculos habebat et quæ mittebantur auferebat. 7 Dixit ergo illi
Iesus Dimitte illam, ut in diem sepulturæ meæ servet illud:
8 pauperes enim semper habetis vobiscum, me autem non semper
habebitis. 9 Et turba multa ex Iudæis audivit quia illic esset
Iesus, et venerunt non propter Iesum solum, sed ut Lazarum
viderent quem suscitavit a mortuis. 10 Cogitaverunt autem principes
sacerdotum ut et Lazarum interficerent, 11 quia multi Iudæorum
propter illum ibant et credebant in Iesum. 12 Altera die turbæ
multæ quæ venerant ad diem festum, cum audissent quia Iesus
venit Ierosolimam, 13 acceperunt sibi ramos palmarum et exie-
runt ei obviam, et clamabant Hosanna, benedictus qui venit in
nomine domini, rex Israel. 14 Et invenit Iesus asinum et sedit
super eum, sicut scriptum est. 15 Noli timere, filia Syon: ecce
rex tuus venit tibi sedens super pullum asinæ. 16 Hæc autem non

cognoverunt primum discipuli eius, sed cum clarificatus esset Ie-
sus, recordati sunt quia hæc erant scripta ab eo et hæc fecerunt
ei. 17 Testimonium itaque perhibebat turba, quæ erat cum eo
quia Lazarum vocavit de monumento et suscitavit eum a mor-
tuis: 18 propterea obviam venerunt ei turbæ, quoniam au-
dierunt quia hoc signum fecit. 19 Pharisæi autem dixerunt ad
illos Videtis quia nichil proficimus? ecce universus mundus abiit
post illum. 20 Erant autem Greci quidam ex his qui ascende-
rant ut orarent in die festo: 21 hi ergo accesserunt ad Philip-
pum qui erat a Bethsaida Galilææ, et rogabant illum dicentes
Domine, volumus videre Iesum. 22 Venit Philippus et dicit
Andreæ, Andreas autem et Philippus dicunt ad Iesum. 23 Ie-
sus autem respondit eis dicens Venit hora ut clarificetur filius
hominis. 24 Amen amen dico vobis, nisi granum tritici cadens
in terram mortuum fuerit, 25 ipsum solum manet: si autem
mortuum fuerit, multum fructum affert. Qui amat animam suam,
perdet eam; et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam
æternam custodit eam. 26 Si quis mihi ministrat, sequatur me,
et ubi ego sum, illic et minister meus erit: si quis autem mihi
ministrat, honorificabit eum pater meus. 27 Nunc anima mea
turbata est, et quid dicam? Pater, libera me ex hac hora. Sed
ideo veni in hanc horam: 28 Pater, clarifica nomen tuum, Ve-
nit ergo vox de cælo dicens Et clarificavi et iterum clarificabo.
29 Turbæ ergo quæ stabant et audierant, dicebant Tonitruum
factum est: alii dicebant Angelus illi locutus est. 30 Respondit
Iesus et dixit Non propter me vox hæc venit sed propter vos.
31 Nunc iudicium est huius mundi nunc princeps huius mundi
mittitur foras; 32 et ego si exaltatus fuero a terra, omnia tra-
ham ad me ipsum. 33 Hoc autem dicebat significans qua morte
esset moriturus. 34 Respondit ei turba Nos audivimus scriptum
esse in lege Quia Christus manet in æternum, et quomodo tu
dicis Quia oportet exaltari filium hominis? quis est filius
hominis? 35 Dixit ergo eis Iesus Adhuc modicum tempus lux
in vobis est: ambulate dum lucem habetis, ut non tenebræ vos
comprehendant; et qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat.
36 Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis.
Hæc locutus est Iesus, et abiit, et abscondit se ab eis. 37 Cum
autem tanta signa fecisset Iesus coram eis non credebant in eum;
38 ut sermo Ysaiæ prophetæ impleretur quem dixit Domine, quis
credidit auditui nostro? et brachium domini cui revelatum est?
39 Propterea non credebant, quia iterum dixit Ysaias 40 Ex-
cæcavit eorum oculos et induravit cor eorum, ut non videant
oculis et intelligant corde et convertantur et sanem illos. 41 Hæc
dixit Ysaias quando vidit maiestatem eius, et locutus est de eo.
42 Interim tamen ex principibus multi crediderunt in eum, sed
propter Pharisæos non confitebantur, ut non de synagoga eiice-

rentur: 43 dilexerunt enim claritatem hominum magis quam clari-
tatem dei. 44 Iesus autem clamabat et dicebat Qui credit in
me, non in me credit sed in eum qui me misit 45 et qui vidit
me, vidit eum qui me misit. 46 Ego lux in hunc mundum veni,
ut omnis qui credit in me in tenebris non maneat. 47 Et si
quis audierit verba mea et custodierit ea, ego non iudico eum:
non enim veni ut iudicem mundum, sed ut salvum faciam mun-
dum. 48 Qui spernit me et non accipit verba mea, habet qui
iudicet eum: sermonem quem locutus sum, ille iudicabit eum in
novissimo die. 49 Quia ego ex me ipso non sum locutus, sed
ille qui misit me pater, ipse mihi præceptum dedit quid dicam et
quid loquar. 50 et scio quia præceptum eius vita æterna est.
Itaque quæ ego loquor, sicut dixit mihi pater, sic loquor.

XIII. 1 Ante diem autem festum paschæ sciens Iesus quia
venit hora eius ut transiret de hoc mundo ad patrem, cum dilexisset
discipulis suos qui essent in hunc mundum, in finem dilexit eos.
2 Et cæna facta, cum diabolus misisset se in corde Simonis
Scariothe tradere eum 3 sciens quia omnia dedit ei pater in
manus, et quia a deo exivit et ad deum vadit, 4 surrexit a
cæna et posuit vestimenta sua, et cum accipisset linteum præ-
cinxit se, 5 deinde mittit aquam in pelvim, et coepit lavare pe-
des discipulorum suorum et extergere linteo quo erat præcinctus.
6 Venit autem ad Simonem Petrum, et dicit ei Petrus Domine,
tu mihi lavas pedes? 7 Respondit Iesus et dixit ei Quod ego
facio tu nescis modo, cognosces postea. 8 Dicit ei Petrus Non
lavabis mihi pedes in æternum. Respondit ei Iesus Nisi lavero
tibi pedes, non habes partem mecum. 9 Dicit ei Simon Petrus
Domine, non tantum pedes sed et manus et caput. 10 Dicit ei
Iesus Qui lotus est semel, non indiget ut lavet, sed est mundus
totus: et vos mundi estis, sed non omnes. 11 Sciebat enim
quisnam esset traditurus eum propterea dixit eis Quia non estis
omnes mundi. 12 Postquam ergo lavit pedes discipulorum ac-
cepit vestimenta sua, et cum iterum recubuisset, dicit eis Intelli-
gite quid fecerim vobis! 13 Vos me vocatis magister et domine, et
bene dicitis: sum enim. 14 Si ergo ego magister et dominus
lavi pedes vestros, et vos debetis alter alterius lavare pedes:
15 exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis
etiam et vos faciatis. 16 Amen amen dico vobis, non est maior
servus domino suo, neque apostolus maior illo qui misit eum.
17 Si hæc scitis, beati estis si feceritis ea. 18 Non de omnibus
vobis dico: ego enim scio quos elegerim, sed ut adimpleatur
scriptura Qui manducat mecum panem, levabit contra me calca-
neum suum. 19 A modo dico vobis priusquam fiat, ut cum
factum fuerit credatis quia ego sum. 20 Amen amen dico vo-
bis, Qui accipit si quem misero, me accipit: qui autem me acci-
pit, accipit eum qui me misit. 21 Cum hæc dixisset Iesus,

turbatus est in spiritu et protestatus est et dixit Amen amen dico
vobis Quia unus ex vobis tradet me. 22 Aspiciebant ergo ad
invicem discipuli, hæsitantes de quo diceret. 23 Erat autem
recumbens unus ex discipulis eius in sinu Iesu, quem diligebat Ie-
sus: 24 Annuit ergo huic Simon Petrus et dixit ei Interroga
de quo dicit? 25 Ait itaque cum recumberet ille super pectus
Iesu, et dicit ei Domine, quis est qui tradet te? 26 Respondit
Iesus Ille est cui ego intinctum panem porrexero. Et cum in-
tinxisset panem, dedit Iudæ Simoni Scariothæ. 27 Ut accepit
panem introivit in illum sathanas. Dicit ergo ei Iesus Quod facis,
fac citius. 28 Hoc autem nemo discumbencium scivit ad quid
dixerit ei: 29 quidam enim putabant quia loculus habebat Iudas
quia dicit ei Iesus Eme ea quæ opus sunt nobis ad diem festum
hunc, aut egenis aliquid daret. 30 Cum ergo accepisset ille buc-
cellam, exivit continuo: erat autem nox. 31 Cum ergo exisset
ille, dicit Iesus Nunc clarificatus est filius hominis, et deus clari-
ficatus est in eum. 32 Et deus clarificabit eum in semetipso, et
continuo clarificavit eum. 33 Filioli, adhuc modicum tempus vo-
biscum sum et quæritis me, sicut dixi Iudæis Quo ego vado vos
non potestis venire, et vobis dico modo. 34 Præceptum novum do
vobis ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. 35 In hoc enim
cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habue-
ritis ad invicem. 36 Dicit ei Simon Petrus Domine, quo vadis?
Respondit Iesus Quo ego vado tu non potes me modo sequi, se-
queris autem postea. 37 Dicit ei Petrus Domine quare non pos-
sumus sequi te modo? animam meam pro te ponam. 38 Re-
spondit Iesus et dixit ei Animam tuam pro me pones? Amen
amen dico tibi, quoniam non cantabit gallus donec me ter neges.

XIV. 1 Et ait discipulis suis Non turbetur cor vestrum:
credite in deum, et in me credite. 2 In domo patris mei man-
siones multæ sunt si quo minus dixissem vobis: quia vado
parare vobis locum. 3 Et si abiero et paravero vobis
locum, iterum venio et accersio vos ad me ipsum, ut
ubi ego sum et vos sitis. 4 Et quo ego vado sitis, et viam
nostis, 5 Dicit ei Thomas Domine, nescimus quo vadis, et quo-
modo possumus viam scire? 6 Dicit ei Iesus Ego sum via et
veritas et vita: nemo venit ad patrem nisi per me. 7 Si cogno-
vistis me, et patrem meum cognovistis: et a modo nostis
eum et vidistis eum. 8 Dicit ei Philippus Domine, ostende no-
bis patrem, et sufficit nobis. 9 Dicit ei Iesus Tanto tempore
vobiscum sum, et non cognovistis me, Philippe? Qui vidit me,
vidit et patrem meum: quomodo tu dicis Ostende nobis patrem?
10 Non creditis quia ego in patre et pater in me est? Verba
quæ ego loquor vobis, a me ipso non loquor: pater autem in
me manet, ipse loquitur et opera quæ ego facio ipse facit.
11 Credite mihi quia ego in patre et pater in me est? 12 Alio-
quin propter opera ipsa credite. Amen amen dico vobis, quia qui

9 — Cod. Colb.

credit in me, opera quæ ego facio et ipse faciet, et maiora ho-
rum faciet, quia ego ad patrem vado, 13 et quodcunque ab illo
petieritis in nomine meo, ego faciam ut clarificetur pater in filio.
14 Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam. 15 Si di-
ligitis me, præcepta mea custodite. 16 Et ego rogabo patrem, et
alium advocatum dabit vobis, ut vobiscum sit in æternum, 17
spiritum veritatis, quem hic mundus non potest accipere, quia
non videt eum nec cognoscit eum: vos autem nostis illum, quia
vobicum manet et vobiscum est. 18 Non relinquam vos orphanos,
venio ad vos. 19 Adhuc modicum et hic mundus me iam non
videt: vos autem videbitis me, quia ego vivo et vos vivetis.
20 In illa die cognoscetis vos quia ego in patre meo et vos in
me et ego in vobis. 21 Qui audit præcepta mea et servat ea,
ille est qui diligit me: qui autem diligit me, diligetur a patre
meo, et ego diligam eum et manifestabo ei me ipsum. 22 Ait
illi Iudas, non ille Scariotha sed alius Domine quid factum est
quia nobis incipis manifestare te ipsum et non huic mundo?
23 Respondit Iesus et dicit ei Si quis diligit me, sermonem
meum servavit, et pater meus diliget eum, et ad eum veniemus
et apud eum manemus; 24 qui non diligit me sermones meos
non servat: et sermonem quem audistis, meus non est, sed eius
qui me misit patris. 25 Hæc locutus sum vobis apud vos ma-
nens: 26 paraclitus autem, ille spiritus sanctus quem mittet
pater in nomine meo, ille vos docebit omnia et suggeret vobis
quæcunque dixero. 27 Pacem relinquo vobis, pacem meam do
vobis: non quomodo hic mundus dat ego do vobis. Non contur-
betur cor vestrum neque formidet. 28 Audistis quia dixi vobis
Vado et venio ad vos. Si diligeritis me, gauderetis quoniam
vado ad patrem, quia pater maior me est. 29 Nunc dixi vobis
antequam fiat, ut cum factum fuerit credatis. 30 Iam non
multa loquor vobis: venit enim huius mundi princeps, et in me
non habet quidquam, 31 sed ut cognoscat mundus quia diligo
patrem, et sicut præceptum dedit mihi pater, sic facio. Surgite,
eamus hinc.

XV. 1 Ego sum vitis vera, et pater meus agricultor est.
2 Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum
pater et omnem qui feret fructum, purgabit eum ut fructum plu-
rimum afferat. 3 Iam vos mundi estis propter sermonem quem
locutus sum vobis: 4 manete in me, et ego in vobis. Sicut
sarmentum non potest ferre fructum a semetipso nisi manserit
in vite, sic et vos nisi in me manseritis. 5 Ego sum vitis, et
vos estis sarmenta: qui manet in me et ego in illo, hic affert
fructum copiosum, quia sine me nichil potestis facere. 6 Si
quis in me non manserit, præcisus est sicut sarmentum et mitte-
tur foris et arescet et colligent eos et in ignem mittunt, et ardent.
7 Si manseritis in me et verba mea in vobis manserint, quodcun-

que petere volueritis, fiet vobis. 8 In hoc clarificatus est pater
meus ut fructum plurimum afferatis et efficiamini mei discipuli.
9 Sicut dilexit me pater, et ego dilexi vos: manete in dilectione
mea. 10 [Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione
mea], sicut et ego præcepta patris servavi et maneo in eius di-
lectione. 11 Hæc locutus sum vobis ut gaudium meum sit in
vobis et gaudium vestrum impleatur. 12 Hoc est præceptum
meum, ut diligatis invicem qua dilectione dilexi vos. 13 Maio-
rem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat pro
amicis suis. 14 Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio
vobis. 15 Iam non dico vos servos, quia servus nescit quid faciat
dominus eius: vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audivi
a patre meo nota feci vobis. 16 Non vos me elegistis, sed ego
elegi vos, et ordinavi vos ut eatis et fructificetis et fructus ve-
ster maneat, ut quodcunque petieritis a patre in nomine meo det
vobis. 17 Hæc mando vobis, ut diligatis invicem. 18 Si mun-
dus vos odit, scitote quia priorem me odio habuit. 19 Si
de hoc mundo fuissetis, mundus utique quod suum erat diligeret:
verum quia de hoc mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo,
propterea odit vos mundus. 20 Mementote sermonis quem
ego dixi vobis Non est servus maior domino suo: si me perse-
cuti sunt, et vos persequentur, si sermonem meum servaverunt,
et vestrum servabunt. 21 Sed hæc omnia faciunt circa vos
propter nomen meum, quia nesciunt eum qui me misit. 22 Si
non venissem et locutus eis fuissem, peccatum non haberent, nunc
autem excusacionem non habent de peccato 23 Qui me
odit, et patrem meum odit. 24 Si opera non fecissem in illis
quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem vide-
runt et oderunt me et patrem meum. 25 Sed ut impleatur
sermo qui in lege eorum scriptus est Quia odio me habuerunt
gratis. 28 Cum ergo venerit paraclitus quem ego mittam vobis
a patre meo, spiritum veritatis qui a patre meo procedit, ille te-
stimonium perhibet de me: 27 et vos testimonium perhibetis,
qui ab inicio mecum estis.

XVI. 1 Hæc locutus sum vobis ut non scandalizemini. 2
Extra synagogam fecerunt vos: sed venit hora mea ut omnis qui
interfecerit vos arbitretur obsequium præstare deo. 3 Sed hæc
faciunt vobis quia non noverunt patrem neque me. 4 Hæc au-
tem locutus sum vobis ut cum venerit hora eorum reminiscamini,
quia ego dixi vobis. 5 Hæc autem vobis ab inicio non dixi quia
vobiscum eram: at nunc autem vado ad eum qui me misit, et
nemo de vobis interrogat me Quo vadis? 6 Sed quia hæc lo-
cutus sum vobis, tristicia implevit cor vestrum. 7 Sed ego veri-
tatem dico vobis, quoniam expedit vobis ut ego vadam: si non
abiero ego, paraclitus non venit ad vos; si autem abiero, mittam
eum ad vos. 8 Et cum advenerit ille, arguet mundum de pec-

cato et de iusticia et de iudicio. 9 De peccato quidem, quia
non crediderunt in me; 10 de iusticia vero, quia ad patrem
meum vado et iam me non videbitis; 11 de iudicio autem, quia
princeps huius mundi iudicatus est. 12 Adhuc multa habeo vo-
bis dicere, sed non potestis illa modo portare: 13 cum autem
venerit ille spiritus veritatis, docebit vos in omni veritate: non
enim loquetur a semetipso, sed quæcunque audierit loquetur, et
quæ ventura sunt annunciabit vobis. 14 Ille me clarificabit,
quia de meo accipiet et annunciabit vobis. 15 Omnia quæcunque
habet pater, mea sunt: propterea dixi quia de me accipiet et
annunciabit vobis. 16 Ecce modicum et iam non videbitis me, et
iterum modicum, et videbitis me, quoniam vado ad patrem.
17 Dixerunt ergo discipuli eius ad invicem Quid est hoc quod
dicit nobis Modicum et non videbitis me, et iterum modicum et
videbitis me? et quia ait Vado ad patrem meum? 18 Dicebant
ergo Quid est hoc quod dicit Modicum? nescimus quod loquitur.
19 Et cognovit Iesus quia incipiebant eum interrogare, et dixit ad
eos De hoc quæritis ad invicem quia dixi Modicum et non videbi-
tis me, et iterum modicum et videbitis me? Amen amen dico vobis
quoniam flebitis et lugebitis, mundus autem gaudebit: vos trista-
bimini sed tristicia vestra in gaudium veniet. 21 Mulier cum parit
tristiciam habet, quia venit dies eius: cum autem pepererit pue-
rum, iam non meminit tristiciæ propter gaudium, quia natus est
homo in hunc mundum. 22 Et vos nunc quidem tristiciam ha-
betis: iterum autem videbo vos et gaudebit cor vestrum, et
gaudium vestrum nemo tollet a vobis. 23 Et in illa die me non
interogabitis quidquam: amen amen dico vobis Quoniam si quid pe-
tieritis a patre in nomine meo, dabit vobis. 24 Usque modo non
petistis quidquam in nomine meo: petite, et accipietis, ut gau-
dium vestrum sit impletum. 25 Hæc in proverbiis locutus sum
vobis: sedveniet hora cum iam non in proverbiis loquar vobis, sed
palam de patre manifestabo vobis. 26 In illa die in nomine meo
petitis, et non dico vobis quia rogabo patrem: 27 ipse enim
pater amat vos, quia vos me amatis et creditis quia ego a deo
exivi. 28 Exivi a patre et veni in hunc mundum: iterum relin-
quo hunc mundum et vado ad patrem meum. 29 Dicunt ei
discipuli eius Ecce nunc palam loqueris, et proverbium nullum
dicis. 30 Nunc ergo scimus quia omnia nosti, non opus est tibi
ut aliquis te interroget: sed credimus quia a deo existi. 31 Re-
spondit eis Iesus Modo creditis? Ecce venit hora et iam venit,
ut dispergamini unusquisque in suam regionem et me solum relin-
quatis: et non sum solus, quia pater mecum est. 33 Hæc locu-
tus sum vobis ut in me pacem habeatis. In hoc autem mundo
tribulacionem et pressuram habebitis: sed gaudete quoniam ego
vici mundum.

XVII. 1 Hæc locutus est Iesus, et elevavit oculos suos
in cælum et dixit Pater, venit hora: clarifica filium tuum, ut

filius tuus clarificet te, 2 sicut dedisti ei potestatem omnis carnis,
ut omne quod dedisti ei, det illis vitam æternam. 3 Hæc est
autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum deum et quem
misisti Iesum Christum. 4 Quem ego clarificavi super terram,
opus consummavi quod dedisti mihi ut facerem: 5 et nunc cla-
rifica me tu, pater, apud temetipsum claritate quam habui, prius-
quam mundus esset, apud te. 6 Manifestavi nomen tuum om-
nibus quos dedisti mihi de mundo. Tui erant, et mihi eos dedi-
sti, et sermonem tuum servaverunt: 7 nunc cognovi quia omnia
quæcunque dedisti mihi abs te sunt, 8 quia verba quæ dedisti
mihi dedi eis, et ipsi acceperunt ea et cognoverunt quia a te vere
exivi, et crediderunt quia tu me misisti. 9 Ego pro eis rogo:
non pro mundo hoc rogo, sed pro his quos tu mihi dedisti, quia
tui sunt, 10 et mea omnia tua sunt, et tua mea sunt, et clarificatus sum
in eis. 11 Et iam non sum in hoc mundo, et hi in mundo sunt, et ego
ad te venio, et iam non sum in hoc mundo. Pater sancte, serva eos in
nomine tuo. 12 Cum essem cum eis, ego servabam eos in nomine
tuo: quos dedisti mihi custodivi, et nemo ex his perit nisi filius
perdicionis, ut scriptura impleatur. 13 Nunc autem ad te venio,
et hæc loquor in hoc mundo ut habeant gaudium meum imple-
tum in semetipsis. 14 Ego dedi eis sermonem tuum, et mundus
eos odio habuit, quia non sunt de hoc mundo. 15 Non rogo ut
tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo. [16 De hoc
mundo non sunt, sicut et ego non sum de mundo.] 17 Sanctifica
eos in veritate: sermo tuus veritas est. 18 Sicut me misisti in
hunc mundum, et ego misi eos in hunc mundum: 19 et pro eis
ego sanctifico me ipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate.
20 Non pro his autem tantum rogo, sed et pro his qui credituri
sunt per verba eorum in me. 21 ut omnes unum sint, sicut
tu pater in me et ego in te, ut ipsi in nobis sint, ut mundus
credat quia tu me misisti. 22 Et ego claritatem quam dedisti
mihi dedi eis, ut sint unum sicut sumus nos unum, 23 ego in
eis et tu in me, ut sint perfecti in unum, et cognoscat mundus
quia tu me misisti, et dilexisti eos sicut et me dilexisti. 24 Pa-
ter, quos dedisti mihi, volo ut ubi ego sum illi sint mecum,
ut videant claritatem meam quam dedisti mihi, quia dilexisti me
ante mundi constitucionem. 25 Pater iuste, mundus te non
cognovit, ego autem te cognovi, et hi cognoverunt quia tu me
misisti: 26 et notum eis feci nomen tuum et notam faciam di-
lectionem qua dilexisti me in eis sic et ego in ipsis.

XVIII. 1 Hæc cum dixisset Iesus, exivit cum discipulis
suis trans torrentem fluminis Cedron, ubi erat ortus, in quem
introvit ipse et discipuli eius. 2 Sciebat autem et Iudas, qui
eum traditurus erat, ipsum locum, quia frequenter Iesus con-
veniebat ibi cum discipulis suis. 3 Iudas ergo accepta cohorte
a principibus sacerdotum et Pharisæis ministros, venit illuc cum

lanternis et faculis et armis. 4 Iesus autem sciens omnia quæ
ventura erant super eum, exiit et ait illis Quem quæritis? 5 Re-
sponderunt ei Iesum Nazarenum. Dicit eis Iesus Ego sum. Sta-
bat autem et Iudas, qui traditurus erat eum, cum ipsis. 6 Ut
ergo dixit illis Ego sum, abierunt retrorsum et ceciderunt in
terram. 7 Iterum Iesus eos interrogavit Quem quæritis? Illi
autem dixerunt Iesum Nazarenum. 8 Respondit Iesus Dixi vobis
quia ego sum: si ergo me quæritis, sinite eos ire. 9 Ut im-
pleatur sermo quem dixit Quia quos dedisti mihi, non perdidi
ex ipsis quemquam. 10 Simon igitur Petrus habens gladium
eduxit eum et percussit servum principis sacerdotum et abscidit
eius auriculam dextram: erat autem nomen servo Malchus. 11
Dixit ergo Iesus Petro Mitte gladium in vaginam suam: calicem
quem dedit mihi pater non vis ut bibam illum? 12 Cohors igi-
tur et tribunus et ministri Iudæorum comprehenderunt Iesum et
ligaverunt eum, 13 et adduxerunt ad Annam primum: erat
enim socer Caiphæ, qui erat pontifex anni illius: 14 erat au-
tem Caiphas qui consilium dedit eis Quia expedit unum hominem
mori pro populo. 15 Sequebatur autem Simon Petrus Iesum et
alius discipulus: discipulus autem ille notus erat principi sacer-
dotum et simul introivit cum Iesu in atrium pontificis, 16 Petrus
vero stabat ad ianuam foris. Exiit ergo discipulus ille alius qui
erat notus pontifici et dixit hostiariæ, et introduxit Petrum.
17 Dicit ergo Petro illa ancilla hostiaria Nunquid et tu ex discipulis
es hominis huius? Ait illi Non sum. 18 Stabant autem servi
et ministri ad prunas, quia frigus erat, et calefaciebant: erat au-
tem cum eis et Petrus stans et calefaciens se. 19 Princeps
ergo sacerdotum interrogavit Iesum de discipulis eius et de do-
ctrina eius. 20 Respondit ei Iesus Ego palam locutus sum
mundo: ego semper docui in synagoga et in templo, quo omnes
Iudæi conveniunt, et in occulto locutus sum nichil. 21 Quid me
interrogas? interroga eos qui audierunt quid locutus sum illis:
ecce hi sciunt quæ dixerim ego. 22 Hæc autem cum dixisset,
unus de astantibus ex ministris dedit palmam Iesu, dicens Sic
respondes pontifici? 23 Respondit ei Iesus Si male locutus sum,
testimonium perhibe de malo: si autem bene, quid me cædis?
24 Et misit eum Annas vinctum ad Caiphan pontificem. 25 Erat
autem Simon Petrus stans et calefaciens se. Dixerunt ergo ei
Nunquid et tu ex discipulis eius es? Et ille negavit et dixit Non
sum. 26 Dicit ei unus ex servis pontificis, cognatus eius cuius ab-
scidit Petrus auriculam Nonne ego te vidi in orto cum illo? 27
Iterum ergo Petrus negavit eis, et statim gallus cantavit. 28 Ad-
ducunt igitur Iesum ad Caipham et ad Pilatum in prætorium: erat
autem mane: et ipsi non introierunt in prætorium, ne contami-
narentur et manducarent pascha. 29 Exiit ergo Pilatus ad eos foras
et dixit Quam accusacionem fertis de hoc homine? 30 Responderunt

Iudæi et dixerunt ei Si non esset hic malefactor, non utique tibi
tradidissemus eum. 31 Dixit ergo eis Pilatus Accipite eum vos
et secundum legem vestram iudicate. Dixerunt ergo Iudæi Nobis
non licet quemquam occidere. 32 Ut sermo Iesu impleretur,
quem dixit significans qua morte esset moriturus. 33 Introivit
ergo iterum in prætorio Pilatus, et vocavit ad se Iesum et dixit
illi Tu es rex Iudæorum? 34 Et respondit ei Iesus A te hoc
dicis, an alii tibi dixerunt de me? 35 Respondit Pilatus Nunquid ego Iudæus sum? gens tua et principes sacerdotum tradiderunt te mihi: quid fecisti? 36 Respondit ei Iesus Regnum
meum non est de hoc mundo: si de hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique certarent ut non traderer Iudæis: nunc autem regnum meum non est hinc. 37 Dixit itaque Pilatus
Ergo rex es tu? Respondit Iesus Tu dicis, quia rex sum ego. Ad hoc natus sum et ad hoc veni in hunc mundum, ut testimonium perhibeam veritati: omnis qui de veritate est audit vocem meam. 38 Dicit ei Pilatus Quid est veritas? Et cum
hoc dixisset, iterum exivit ad Iudæos et dixit eis Ego nullam invenio in eo causam. 39 Est autem consvetudo vobis ut unum
dimittam in pascha; vultis ergo dimittam vobis regem Iudæorum?
40 Exclamaverunt ergo omnes Non Iesum, sed Barabban. Erat autem Barabbas latro.

XIX. 1 Tunc ergo apprehendit Pilatus Iesum et flagellavit
eum. 2 Et milites ornatam coronam de spinis posuerunt super caput eius et vestem purpuream induerunt eum, 3 et veniebant
ad illum dicentes Ave rex Iudæorum, et dabant ei palmas in
faciem. 4 Exivit iterum Pilatus foras et dicit eis Ecce adduco illum vobis foras, ut cognoscatis quia in eo causam non invenio. 5 Exiit ergo Iesus foras habens spineam coronam et purpureum vestimentum. Et dixit eis Ecce homo. 7 Cum ergo vidissent eum principes sacerdotum et ministri, exclamaverunt dicentes Crucifige eum, crucifige. Dicit eis Pilatus Accipite eum vos
et crucifigite: ego enim non invenio in eum causam. 7 Responderunt Iudæi Nos legem habemus, et secundum legem habet
mori, quia filium dei se fecit. 8 Cum ergo audisset Pilatus hunc
sermonem, magis timuit, 9 et introivit iterum in prætorium et dicit ad Iesum Unde es tu? Iesus autem responsum non dedit
ei. 10 Dicit ergo ei Pilatus Mihi non loqueris? nescis quia potestatem habeo crucifigere te, et potestatem habeo dimittendi
te? 11 Respondit ei Iesus et dixit Non haberes potestatem adversum me ullam nisi datum tibi esset de super: propterea qui tradidit
me tibi magnum peccatum habet. 12 Et exinde Pilatus quærebat dimittere eum: Iudæi autem clamabant dicentes Si hunc dimittis, non es amicus cæsaris: omnis qui se regem facit contradicit cæsari. 13 Cum audisset ergo Pilatus hos sermones, produxit
foras Iesum, et sedit pro tribunali in loco qui dicitur Lithostratos, Hebraice autem Gabtha. 14 Erat autem præparacio

paschæ, hora erat quasi sexta. Et ait Iudæis Ecce rex vester.
15 At illi clamaverunt Tolle, crucifige eum. Ait illis Pilatus
Regem vestrum crucifigam? Responderunt principes sacerdotum
Non habemus regem nisi cæsarem. 16 Tunc ergo tradidit eis
illum ut crucifigeretur. Susceperunt ergo Iesum, 17 et baiulans
sibi crucem pervenit in locum qui appellatur Calvariæ quod dici-
tur Hebraice Golgotha, 18 ubi eum crucifixerunt, et cum eo alios
duos hinc et inde, medium autem Iesum. 19 Scripsit autem et
titulum Pilatus et posuit supra crucem: erat autem scriptum Ie-
sus Nazarenus rex Iudæorum. 20 Hunc ergo titulum multi
legerunt Iudæorum, quia prope civitatem erat locus ubi cruci-
fixus est Iesus, et erat scriptum Hebraice Græce et Latine. 21
Dicebant ergo Pilato principes Iudæorum Noli scribere Rex Iu-
dæorum, sed quia ille dixit Rex sum Iudæorum. 22 Respondit
Pilatus Quod scripsi, scripsi. 23 Milites ergo cum crucifixissent
Iesum, acceperunt vestimenta eius et fecerunt quatuor partes,
unicuique militi partem. De tunica autem quia de superiori parte
non consutilis sed per totum textibilis fuit 24 dixerunt ergo
ad alterutrum Non scindamus eam, sed sortiamur de illa cuius
sit. Ut scriptura impleatur Diviserunt vestimenta mea sibi, et
super vestem meam miserunt sortem. Et milites quidem hæc
fecerunt. 25 Stabant autem iuxta crucem Iesu mater eius et
soror matris eius Maria Cleophe et Maria Iacobi et Maria
Magdalenæ. 26 Cum vidisset autem Iesus matrem suam et
discipulum astantem quem diligebat, ait matri suæ Mulier, ecce
filius tuus. 27 Deinde dicit discipulo Ecce mater tua. Et ex
illa hora accipit illam discipulus ille. 28 Postea sciens Iesus
quoniam omnia consummata sunt, ut scriptura impleretur ait
Sitio. 29 Vas ergo positum erat aceto plenum: hysopo admi-
scentes spongiam ergo plenam aceto cum felle permixtum com-
ponentes obtulerunt ori eius. 30 Cum ergo accepisset Ie-
sus acetum, dixit Consummatum est, et inclinato capite tradidit
spiritum. 31 Iudæi autem, quoniam parasceve erat, ne mane-
rent in cruce corpora, erat enim magnus dies ille sabbati,
rogaverunt Pilatum ut frangerentur eorum crura et tollerentur.
32 Venerunt ergo milites et illius quidem primi fregerunt crura
et alterius similiter qui simul crucifixi erant cum eo: 33 ad Ie-
sum autem cum venissent, ut viderunt eum mortuum, non fregerunt
eius crura. 34 sed unus ex militibus lancea latus eius perfo-
dit, et continuo exivit sanguis et aqua. 35 Et qui vidit testi-
monium perhibuit, et verum est testimonium eius et ille scit
quia vere dicit, ut et vos credatis. 36 Facta sunt enim
hæc ut scriptura impleatur Os suum non confringetis ab eo.
37 Et iterum alia scriptura dicit Videbunt in quem compunxe-
runt. 38 Post hæc autem rogavit Pilatum Ioseph ab Arimathia
qui et ipse fuit discipulus Iesu, occulte autem propter metum

Iudæorum, ut tolleret corpus Iesu: et permisit Pilatus. Vene-
runt ergo et tulerunt eum: 39 venit autem et Nicodemus,
qui venerat ad Iesum nocte primum, ferens mixturam mirræ et
aloæ quasi libras centum. 40 Acceperunt ergo corpus Iesu et
ligaverunt eum linteis cum aromatibus, sicut est consuetudo Iudæis
sepelire. 41 Erat autem in loco ubi crucifixus est ortus, et in
orto monumentum novum, in quo nondum quisquam positus erat:
42 ibi ergo propter parasceven Iudæorum, quia iuxta erat mo-
numentum, posuerunt Iesum.

XX. 1 Postera autem die sabbati venit Maria Magdalene
cum adhuc tenebræ essent, ad monumentum, et videt lapidem
sublatum a monumento. 2 Cucurrit ergo et venit ad Simonem Petrum
et alium discipulum quem amabat Iesus, et dicit eis Tulerunt do-
minum de monumento, et nescimus ubi posuerunt eum. 3 Exivit
ergo Petrus et ille alius discipulus, et venerunt ad monumentum:
4 currebant autem duo simul: sed ille alius discipulus præcu-
currit citius Petro et venit prior ad monumentum, 5 et cum se
inclinasset et prospexisset, videt linteamina posita, non tamen in-
troivit. 6 Venit ergo Simon Petrus sequens eum et introivit in
monumentum, et vidit linteamina posita, 7 et sudarium, quod
erat supra caput eius, non cum linteaminibus positum, sed sepa-
ratim involutum in unum locum. 8 Tunc ergo introivit et alius
discipulus qui venerat prior ad monumentum, et vidit et credidit.
9 Nondum enim sciebat scripturam, quia oporteret eum a mortuis
resurgere. 10 Abierunt ergo apud se discipuli. 11 Maria autem
stabat ad monumentum plorans, ut ergo fleret, inclinavit se et
prospexit in monumentum, 12 et vidit duos angelos in albis se-
dentes, unum ad caput et unum ad pedes, ubi positum erat cor-
pus Iesu. 13 Et dicunt ei Mulier quid ploras? Dicit eis Quo-
niam tulerunt dominum meum, et nescio ubi posuerunt eum.
14 Hæc cum dixisset, conversa est retrorsum, et vidit Iesum
stantem, et non sciebat quia Iesus est. 15 Dicit ei Iesus Mulier,
quid ploras? aut quem quæris? At illa existimans quia ortula-
nus est, dicit ei Domine, si tu sustulisti eum, dic mihi ubi po-
suisti illum, et ego eum tollam. 16 Dicit ei Iesus Maria. Con-
versa illa dicit ei Hebraice Rabboni, quod interpretatur magister.
17 Dicit ei Iesus Noli me tangere: nondum enim ascendi ad
patrem meum et ad patrem vestrum et ad dominum meum et ad
dominum vestrum. 18 Venit Maria Magdalene annuncians discipulis
quia vidit dominum, et quia hæc dixit et manifestavit eis. 19
Cum ergo sero esset die illo una sabbatorum, et ianuæ essent
clausæ ubi erant discipuli congregati propter metum Iudæorum,
venit Iesus et stetit in medio, et ait ei Pax vobis. 20 Et hoc
cum dixisset, ostendit eis manus et latus suum. Gavisi sunt
itaque discipuli viso domino. 21 Ait illis iterum Pax vobis:
sicut misit me pater, et ego mittam vos. 22 Hæc cum dixisset,

insuflavit, et ait illis Accipite spiritum sanctum: 23 quorum re-
miseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, detenta
sunt. 24 Thomas autem unus de XII, qui dicitur Didimus,
non erat cum illis quando venit Iesus. 25 Dixerunt ergo ei ce-
teri discipuli Vidimus dominum. Ille autem dixit eis Nisi videro
in manus eius figuram clavorum et misero digitum meum in
locum clavorum et mittam manum meam in latus eius, non credam.
26 Post dies autem octo iterum erant discipuli simul et Thomas
cum eis. Venit Iesus ianuis clausis, et stetit in medio et dixit
Pax vobiscum. 27 Deinde ait Thomæ Infer digitum tuum huc
et vide manus meas, et affer manum tuam et mitte in latere
meo, et noli esse incredulus, sed fidelis. 28 Respondit Thomas
et dixit ei Tu es dominus meus et deus meus. 29 Ait ei Iesus
Quia vidisti me, credidisti: beati qui non viderunt et crediderunt.
30 Multa quidem et alia signa fecit Iesus in conspectu discipu-
lorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc: 31 hæc au-
tem scripta sunt ut credatis quia Iesus Christus ipse est filius
dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine eius.

XXI. 1 Postea manifestavit se iterum Iesus discipulis suis
ad mare Tiberiadis. Manifestavit autem se sic. 2 Erant autem
pariter Simon Petrus et Thomas qui dicitur Didimus et Natha-
nael qui erat Chanaan Galilææ et filii Zebedæi et alii ex discipu-
lis eius duo. 3 Dicit eis Simon Petrus Vado piscari. Dicunt
ei Venimus et nos tecum. Et exierunt et ascenderunt in navem,
et illa nocte nichil ceperunt. 4 Mane autem facto stetit Iesus
in littore: non tamen cognoverunt discipuli quia Iesus est. 5 Di-
cit ergo eis Iesus Pueri, nunquid pulmentarium habetis? Respon-
derunt ei Non. 6 Dicit eis Mittite in dexteram partem navigii
retia, et invenietis. Miserunt ergo retia et non valebant trahere
ea a multitudine piscium. 7 Dixit ergo ille discipulus quem dilige-
bat Iesus Petro Dominus est. Cum audisset autem Simon Petrus
quoniam dominus est, tunica succinxit se, erat enim nudus, et
misit se in mare: 8 illi alii discipuli navigaverunt, non enim
longe erant a terra sed quasi a cubitis ducentis, trahentes retia
piscium. 9 Ut ergo descenderunt in terram, viderunt carbones
incensos et piscem superpositum et panem. 10 Dicit eis Iesus
Afferte de piscibus quos nunc cepistis. 11 Tunc ascendit Simon
Petrus et traxit retia ad terram plena piscibus magnis centum
quinquaginta tribus: et cum tanti essent, non est scissum rete.
12 Dicit eis Iesus Venite, prandete. Nemo autem ausus est dis-
cumbencium interrogare eum Tu quis es? scientes quia ipse est
dominus. 13 Tunc Iesus accipit panem et dedit eis et piscem
similiter. 14 Hoc iam tercio manifestavit Iesus discipulis suis
cum resurrexisset a mortuis. 15 Cum ergo prandissent, ait Ie-
sus Simoni Petro Simon, Bariona diligis me? Dicit ei Etiam do-
mine, tu scis quia amo te. Dicit illi Pasce oves mea. 16 Ait

illi secundo Simon Bariona diligis me? Dicit ei Ita domine, tu
scis quia amo te. Ait illi Pasce oves meas. 17 Dicit ei tercio
Simon Bariona, amas me? Contristatus est Petrus quia dixit ei
tercio Amas me? et ait ei Domine, omnia nosti, tu scis quia
amo te. Dicit ei Pasce oves meas. 18 Amen amen dico tibi, cum
esses iuvenior præcingebas te et ibas quo volebas, cum autem se-
nueris, extendes manus tuas, et alius te præcinget et ducet te quo
tu non vis. 19 Hoc autem dixit significans qua morte clarifica-
turus esset deum. Et hoc dicto, ait illi Sequere me. 20 Con-
versus Petrus vidit illum discipulum sequentem quem diligebat
Iesus qui et recubuit in cæna super pectus eius et dixerat Do-
mine, quis est qui tradet te? 21 Hunc ergo cum vidisset Petrus,
dicit ad Iesum Domine, hic autem quid? 22 Dicit ei Iesus Sic
volo eum permanere donec venio, quid ad te? tu me sequere.
23 Exiit ergo hic sermo apud fratres quia discipulus ille non
morietur. Non dixit illi autem Iesus quia Non morietur, sed Sic
volo eum remanere donec venio, quid ad te? tu me sequere.
24 Hic est discipulus qui testimonium perhibet de his qui et
scripsit hæc, et scimus quia verum est testimonium eius. 25
Sunt autem et alia multa quidem quæ fecit Iesus, quæ si scri-
bantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere eos qui
scribendi sunt libros. Amen.

CHRISTIANIÆ 1888.

TYPIS MALLINGIANIS.

BS 3554 .L3B4	28165 Bible N. T. Gospels Latin Codex Colbertinum

[illegible]	Hellan	[illegible]
[illegible]	[illegible]	